MASTER NEGATIVE

NO. 92-81149-17

AUTHOR:

SCHUSTER, PAUL R.

TITLE:

DE VETERIS ORPHICAE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1869

Master Negative #

92-81149-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schuster, Paul Robert, 1841-1877.
De veteris Orphicae theogoniae indole atque origine. Dissertationem inauguralem criticam ... scripsit Paul Robert Schuster ... Accedit Epimetrum de Hellanici theogonia Orphica. Lipsiae, Metzger & Wittig, 1869.
100 p. 25½ cm.

Thesis, Leipzig.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-4-93 INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE VETERIS ORPHICAE THEOGONIAE INDOLE ATQUE ORIGINE

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
CRITICAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
A PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAUL ROBERT SCHUSTER
CAND. REV. MIN.

ACCEDIT EPIMETRUM DE HELLANICI THEOGONIA ORPHICA.

LIPSIAE
TYPIS EXSCRIPSERUNT METZGER & WITTIG
MDCCCLXIX

INDEX.

De Orphicarum quae feruntur theogoniarum indole atque origine tum ceterarum tum eius, quae a Damascio[1] ἡ ἐν ταῖς φερομέναις ῥαψῳδίαις Ὀρφικαῖς θεολογία vocatur, permagna adhuc inter viros doctos dissensio est. Nam cum alii Lobeckii sententiam amplexi, quam protulit in Aglaophamo suo,[2] fortasse minus caute quam ipse magister[3] dictitent, vel totam Theogoniam vel primarias eius partes iam ab Onomacrito sub nomine Orphei confictas esse, alii magis opinionem Zoegae[4] secuti sunt plurima et gravissima, quae in illa leguntur, usque ad initium aerae nostrae relegantis eamque novis argumentis confirmaverunt.[5] Quoniam vero non levis momenti esse inter omnes et mytho-

[1] *Quaestiones de primis principiis, ed. Jos. Kopp* (*Francofurti ad M.* 1826), *p.* 380. De titulo satis incerto cf. Giseke, *Rheinisches Museum, N. F., VIII*, 71. 83.

[2] Lobeck, *Aglaophamus sive de theologiae mysticae Graecorum causis libri III. Acced. poetarum Orphicorum dispersae reliquiae. 2 vol.* (*Regimontii* 1829 *p.* 465—713.)

[3] Cf. *Agl. p.* 611.

[4] G. Zoega's *Abhandlungen, herausgegeben u. mit Zusätzen begleitet v. F. G. Welcker* (*Göttingen* 1817) *p.* 215 *sq.*

[5] De iis, qui ante Zoegam de Orpheo scripserunt, cf. Fabricius, *Bibl. Graeca ed. IV. cur. G. Ch. Harles* (*Hamburgi* 1790), *I*, 140 *sq. et* Bode, *Quaestiones de antiquissima carminum Orphicorum aetate, patria atque indole* (*Gottingae* 1824), *p.* 41—46. Recentiorum catalogum exhibet Ed. Gerhard, *Ueber Orpheus und die Orphiker* (*Berlin* 1861), *p.* 43 *N.* 1, et Bernhardy, *Grundriss der griech. Litteratur. 2 Th. Geschichte der griech. Poesie;* 1. *Abth.* (3. *Aufl.*, *Halle* 1867). *p.* 432. Fragmenta iterum edidit, nec tamen auxit sed minuit Mullach, *Fragmenta philosophorum Graecorum* (*Parisiis* 1860), *I*, 162 *sq.* Nova fragmenta collegit A. Mai, *Spicil. Rom. T. VIII* (cf. Preller, *Rheinisches Museum, N. F., IV*, 389—391). Praeterea ex loco Hippolyti *Refutationis omnium haeresium libr. X, ed. Duncker et Schneidewin* (*Gottingae* 1859) *p.* 208, 3 *sq.*: Ὁ γὰρ περὶ τῆς μήτρας αὐτῶν καὶ τοῦ Ὀρφέως λόγος, καὶ ὁ ὀμφαλὸς, ὅπερ ἐστὶν ἁρμονία, διαῤῥήδην οὕτως ἐστὶν ἐν τοῖς Βακχικοῖς τοῦ Ὀρφέως aliquid colligendum videtur de argumento Orphicorum Βακχικῶν, quae adhuc nomine tenus nota erant (cf. *Agl. p.* 364. 369).

logiae et philosophiae peritos constat, utrum hoc carmen diis fabulis doctrinis vel prorsus inauditis vel ab iis, quae vulgo a Graecis credebantur, alienis plenum iam Pisistrati temporibus scriptum sit an vile posteriorum syncretistarum commentum habeatur, haud inutile duxi rem denuo tractare. Qua in re cum magis in iis, quae iam Lobeckius attulit, disponendis et examinandis quam in novis testimoniis adstruendis versaturus sim, aliquid mihi solaminis affert, quod etiam alios viros doctissimos pauca tantum penui ab illo congesto addidisse video. Spes enim ita est, aut nulla aut perpauca scitu digna disputationi meae defutura esse.

Haec praefatus statim me ad rem convertam.

§. 1.

Initium quaerendi neque a catalogis librorum Orphicorum, in quibus ne mentio quidem rhapsodicae Theogoniae fiat,[1] capiendum esse existimo neque a Proculi aliorumque Novorum Platonicorum scriptis, quamvis ibi saepissime illa commemoretur et laudetur. Placuit hoc Lobeckio, qui, ut illud Orphicum carmen iam ab Onomacrito conscriptum esse demonstraret, hac ratione usus est. Primum multa illa fragmenta fabulosi poetae nomine inscripta, quae apud Proculum eiusque sodales occurrunt, ex uno eodemque carmine deprompta esse et hoc ipsum carmen illam esse Theogoniam in rhapsodias descriptam et tum temporis maxime pervulgatam[2] lectoribus persuadere studet.[3] Ac mihi quidem operae pretium facere videtur. Sed de iis quae sequuntur viro egregio assentiri non possum. Cum enim quaedam deprehenderit in Platonis eiusque aequalium scriptis, quae aut dissertis verbis Orpheo adscriberentur aut doctrinam Orphicam redolerent, iisque collatis cum fragmentis apud Proculum repertis miram inter utraque cognationem animadvertere sibi visus sit, non

[1] Sub calcem eius catalogi, quem Suidas *s. v.* Ὀρφεύς exhibet, nuper Gaisfordius *ex cod. A.* addidit Θεογονίαν ἔπη ᾴσ. Id quod etiam Bernhardy recepit. Sed dubitari potest, an haec non sit interpolatio.

[2] Damascius *l. c.* eam τὴν συνηθῆ appellat.

[3] Cf. *Agl. p.* 489.

solum non cunctatur carmen cujus sint reliquiae Platonis tempori vindicare, sed praesertim vestigiis fabulae de Zagrei morte insistens eo procedit, ut Onomacritum eius auctorem esse contendat. Quae si mecum reputo, admirationi acuminis et eruditionis viri ingeniosissimi tantum tribuere non possum, ut eum quae voluerit comprobasse concedam. Quis enim praestat, Platonis et Proculi Orpheos, propterea quod nonnulla iis communia sint, etiam de ceteris secum non discrepare? An hoc inde sequitur, quod ex fragmentis appareat, totum carmen tam probe connexum fuisse, ut sicut varam vibia unamquamque partem ceterae subsequantur oporteat nihilque de loco suo moveri possit, quin omnia turbentur et misceantur? Sed ut taceam nunc, non pauca pugnantia in fragmentis tralaticiis inesse, per se manifestum est, eiusmodi carmina, qualia sint theogoniae, non tam arcte inter se cohaerere posse quam poetarum epicorum vel tragicorum fabulas. Quid enim refert, utrum in genealogiis per longa spatia deductis alterum membrum exciderit alterum additum sit, an omnes propagines prorsus intacto ordine sese excipiant? Nec si ordo turbatus est, magna arte atque ingenio ei opus erit, qui lacunas explere, tumores levigare, omnes partes rursus ita inter se conciliare voluerit, ut hebetes eorum qui vulgo legunt oculos fallat. Nisi igitur alter Lobeckius contentione locorum apud veteres et recentiores repertorum accuratissime facta probaverit, vetus Platonis carminis Orphici exemplar prorsus idem fuisse cum eo, quo Proculus usus sit, dubitare licebit, an aliquis recentioris aetatis Orphicae poëseos amator nescio qua libidine adductus sincerum carmen eum in modum adulteraverit, ut quae consilio obessent resecaret, alia vero eademque gravissima et amplissima vel de suo adderet vel ex aliis cum Graecis tum peregrinis scriptis compilando transferret. Quapropter satius duxi, non tanto palearum Neoplatonicarum acervo raros vetustissimorum scriptorum locos tanquam grana dispersa admiscere, sed hos potissimum colligere et inter se conferendo examinare, ut inde pateat, quod fuerit argumentum libri a Platone laudati. Quod si perspicuum fuerit, facile erit ad dijudicandum, utrum totius carminis summa et ordo conveniat cum iis, quae ex Platonicorum fragmentis cognita habemus, an quaedam

partes diversae sint, an duo carmina omnibus numeris partibusque a se dissentiant.

§. 2.

Cum autem Lobeckius plurima hujus Theogoniae vestigia apud Platonem reperisse sibi videatur, ab eo oriendum est. Ac primum quidem omnium testimoniorum, quae apud hunc scriptorem leguntur, longe gravissimum Cratyli[1] locus est: Ὅμηρος Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν φησι καὶ μητέρα Τηθύν· οἶμαι δὲ καὶ Ἡσίοδος· λέγει δέ που καὶ Ὀρφεύς ὅτι

Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο,
ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιεν (*p.* 402 *B*).

Hic igitur ex carmine quodam Orphico duo versus allegantur. Sed inter tot librorum Orphicorum titulos quid est istud πού, ubi inclytus vates haec cecinit? Nimirum Theogonia nostra rhapsodica, cui „neminem hos versus adscribere cunctaturum esse" sperat Lobeckius.[2] Nec deest conjecturae veri species. Nam si quis omnia quae feruntur ab Orpheo scripta animo perlustraverit, nullum aptiorem locum inveniri posse concedet, quo talia de Oceano eiusque nuptiis narrata fuerint, quam theogoniam. At unde apparet, hanc eam fuisse, quae in Proculi manibus fuerit? An ita concludendum: argumentum illorum versuum alienum videtur ab iis, quae de Eudemi[3] et Hellanici theogoniis Orphicis tradita sunt, ergo tribuendi rhapsodicae? Sed

[1] Schaarschmidt, *Die Sammlung der Platonischen Schriften* (*Bonn* 1867), *p.* 245 *sq.* etiam Cratylum spurium ducit. Sed illae „interiores" quas vocat rationes, quibus solis adductus eam molitur athetesin, satis leves videntur, cf. Georgii, *Neue Jahrb. für Philol.*, 38. *Jahrg.* 1868, *p.* 297 *sq.*, 321 *sq.* Ceterum ex eo, quod in eodem dialogo *p.* 400 et de Orphicorum psychogonia mentio fit, non colligendum, Platonem etiam *p.* 402 idem carmen h. e. Τελετάς respexisse. Nec video, quo iure Gisekius (*l. c. p.* 79. 81) contendere potuerit, aliud distichon ab Eustathio asservatum apte cohaerere cum versiculis a Platone laudatis ideoque utrosque vindicandos esse illi τελετῇ, quae fuerit de Jovis et Junonis commercio. Eustathii locus hic est: Ὀρφεὺς ἐν τῷ περὶ Διὸς καὶ Ἥρας φησὶ

κύκλον [τ'] ἀκαμάτου καλιρρόου Ὠκεανοῖο,
ὃς γαῖαν δίνῃσι πέριξ ἔχει ἀμφιελίξας.

Haec Junonis videntur verba fuisse ad Oceanum se proficisci simulantis (*cf. Il.* 14, 302; *Agl. p.* 607). Quomodo autem in eodem carmine etiam narrari potuerit, Oceanum primum omnium nuptias fecisse, equidem non perspicio.

[2] *Agl. p.* 602.

[3] Quamquam de Eudemi Theogonia hoc non ita liquet (cf. quae paullo infra de hac re dicturus sum).

quis nos vetat quartam fingere fictaeque duo versiculos adscribere? Non Damascius,[1] qui non eam ob causam tres tantum Orphei theogonias numerare videatur, quod nunquam plures fuere, sed quod ipse non plures noverat. Etenim Rhapsodias quidem legerat, de Eudemi autem et Hellanici genealogiis refert tantum, quae de iis apud Eudemum vel alios scriptores invenerat.[2] Quod si ita est, facile eum aliae Orphicae theologiae descriptiones fugere potuerunt.[3] Ex ipsis autem duobus versibus tantum abest, ut aliquid cognationis cum fragmentorum Proculianorum doctrina indagare queam, ut ex iis colligam, Platoni idem Orphei opus quod Proculo lectitatum non fuisse. Etenim primum iam id suspicionem movet, quod Proculus eiusdemque sectae asseclae nullo loco illos versus laudant. Quod argumentum e silentio petitum in hac causa propterea non leve videtur, quod paene incredibile est, Proculum locum utrique magistro, Orpheo ac Platoni, quos tam saepe vi et necessitate eidem jugo subjungit, communem praetermissurum fuisse, quin longam orationem ei affuderit. Unde existimo, Proculum in Orpheo suo eos versus non legisse. Deinde autem verba

Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο

non significare, Oceanum primum inter fratres[4] matrimonium iniise, mox demonstrare conabor. In quo si felix fuero, iis nullus in Theogonia rhapsodica locus relinquitur, cum in ea multi dii ante Oceanum matrimonia ineant.

Quid igitur? Nullumne inter hanc et veterem Platonis theogoniam cognationis vinculum intercedit? Id quominus dicam alter Platonis locus me deterret *Tim. p.* 41 *B.*, quem nollem Lobeckius[5] tam obiter perstrinxisset. Summi enim momenti est. Ubi cum Timaeus de natura visibilium et genitorum deorum locutus addiderit, de ceteris daemonibus ea credenda esse, quae ab ipsis deorum filiis (θεῶν ἐκγόνοις,

[1] *L. c. p.* 380—382.

[2] Cf. Zeller, *Die Philosophie der Griechen* (2. *Aufl.*, *Tübingen* 1856) *I*, 70 *N.* 3.

[3] Ac profecto fugerunt. Nam de Apollonii Rhodii (*Argon. I*, 496—511) relatione, quae a tribus quas novit Theogoniis prorsus discrepat, non verbum muttit.

[4] Sic Lobeckius interpretatur *Agl. p.* 508.

[5] *Agl. p.* 510.

παισίν) tradita essent, ita pergit: οὕτως οὖν κατ' ἐκείνους ἡμῖν ἡ γένεσις περὶ τούτων τῶν θεῶν ἐχέτω καὶ λεγέσθω· Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, τούτων δὲ Φόρκυς Κρόνος τε καὶ Ῥέα καὶ ὅσοι μετὰ τούτων, ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας Ζεὺς Ἥρα τε καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν, ἔτι τε τούτων ἄλλους ἐκγόνους. Haec Platonem non ex Homero sumpsisse cum aliis de causis manifestum est tum propterea, quod ex ipsis eius verbis perspicuum est, eum genealogias accurate descriptas, quales in theogoniis inveniantur, ante oculos habuisse. Hesiodus igitur arcessendus videtur. At enim non video, quo iure Plato Hesiodum, poetam Ascraeum, patris Cumani filium[1] ac dissoluti Persae Mentorem, inter deorum liberos numerare potuerit. Sed quid? Nonne Suidas Homeri et Hesiodi genus ab Atlante deduci tradit? Et si quis eam sententiam Platoni obtrudere dubitet, nonne stemmata sunt a Charace, scriptore Agonis, Proculo proposita, ubi Lini, Orphei, Hesiodi, Homeri stirpes ad unum revocentur divinum fontem?[2] Neve quis dicat, has inficetas esse genealogorum artes. Etenim conficta illa stemmata esse, nemo negabit, sed quo tempore conficta sint, non ita liquet, ut fidenter Platonem, cum verba supra posita scripserit, ea respexisse infitiemur. Imo si certum est, quod Proculus[3] tradit, iam Hellanicum, Damasten, Pherecydem[4] eiusmodi Orphei et Hesiodi genealogias protulisse, — id quod optime cum historiae vix nidis egressae indole moribusque convenire praeclare ipse Lobeckius docet (p. 326), — nihil molesti conjectura habet, etiam in Platonis manus tale quod stemma incidisse, quo Hesiodus ab Orpheo, Orpheus ab aliquo deo derivatus fuerit. Itaque Platonem illis θεῶν ἐκγόνοις nullo modo Hesiodum denotare voluisse non audeo dicere. Sed tamen multa sunt, quae nos

[1] E. κ. ἡ. v. 631 sq. Mortalem fuisse Hesiodi patrem, ex hoc loco abunde patet. Quod autem nomen ei fuerit, utrum re vera Dius vocatus sit (nam nonnullorum Suidae codicum lectionem γενεαλογεῖται εἶναι τοῦ Διὸς iam Ruhnkenius mutavit in Δίου cf. Suid. *ed. Bernh.* s. v.) an cum Lobeckio, *Agl. p.* 326, hoc nomen ex Hesiodi versu ἑ. κ. ἡ. v. 297 ortum esse putandum sit, nunc nostra nihil interest.

[2] De his stemmatibus cf. *Agl. p.* 322 *sq.*

[3] *Agl. p.* 322.

[4] Lobeckius (*l. c. p.* 324) ait: Pherecydem Hesiodi genus ab Orpheo derivasse ex alio quoque loco patet, v. Sturz. p. 103. — Equidem nihil eiusmodi reperi apud Sturzium, *Pherecydis fragmenta* (ed. alt, *Lipsiae* 1824).

Timaei locum de Hesiodo solo, imo ne imprimis quidem de eo intelligere vetent. Primum iam pluralis ἐκγόνοις plures quam unum exigit. Deinde verba Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, τούτων δὲ Φόρκυς Κρόνος τε καὶ Ῥέα καὶ ὅσοι μετὰ τούτων (h. e. Titanes) non apte quadrare videntur in Hesiodi Theogoniam, ubi Oceanus et Tethys Titanum frater et soror, non parentes habeantur neque ullum de Phorco Titane[1] verbum legatur, quem Plato commemorat. Postremo si regula adhuc valet, ut quivis scriptor quantum potest de se explicetur, ipse Plato in Republica, dialogo a Timaeo non multum ut opinor tempore distanti, se non tam Hesiodum quam Orpheum eiusque familiares in mente habuisse indicat verbis usum θεῶν ἐκγόνοις vel παισίν. Sic enim scribit (*Rep. II*, 364 *E*): βίβλων δὲ ὅμαδον παρέχονται Μουσαίου καὶ Ὀρφέως, Σελήνης τε καὶ Μουσῶν ἐγγόνων, ὥς φασι,[2] καθ' ἃς θυηπολοῦσι, πείθοντες οὐ μόνον ἰδιώτας ἀλλὰ καὶ πόλεις, ὡς ἄρα λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων διὰ θυσιῶν καὶ παιδιᾶς ἡδονῶν εἰσὶ μὲν ἔτι ζῶσιν, εἰσὶ δὲ καὶ τελευτήσασιν, ἃς δὴ τελετὰς καλοῦσιν, αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς, μὴ θύσαντας δὲ δεινὰ περιμένει. Orphei igitur Theogoniam non Hesiodi Plato in Timaeo videtur secutus esse. Id quod confirmatur eo, quod Orpheum in Titanum numero Phorcum habuisse haud veri absimile est. Quae enim leguntur apud Proculum:[3] τίκτει ἡ Γῆ .... παῖδας ἄλλους τοσούτους

Κοῖόν τε Κρεῖόν τε μέγαν Φόρκυν τε κραταιὸν
καὶ Κρόνον Ὠκεανόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε

καὶ τοὺς ἅμα τῷ Φόρκυνι προελθόντας τὸν Νηρέα, τὸν Θαύμαντα, τὴν Εὐρυβίην· οὐ γάρ ἐστιν ὁ Φόρκυς Οὐρανίδης ἀλλὰ Πόντου,[4] ὡς δῆλον ἐκ τῆς Θεογονίας, certe hoc

[1] Phorcus enim, qui in Theogonia Hesiodi (*v.* 237, 270 *sq.*, 333) occurrit, Terrae et Ponti filius est a Titanibus prorsus diversus.

[2] Scilicet initiati Orphicis mysteriis vel quos supra diximus Hellanici, Pherekydes aliique historici. Ferebatur autem Musaeus Eumolpi et Selenes, Orpheus Oeagri et Calliopes filius. — De usu vocabulorum ἔκγονος et ἔγγονος paene nihil diverso cf., quae Stallbaum adnotat ad hunc locum Reipublicae in editione sua. Ceterum praeter Musaeum etiam Linus illis θεῶν ἐκγόνοις adscribendus. Cui enim non in mentem veniunt Vergilii versus (*Ecl.* 4, 55 *sq.*):

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus
nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopae, Lino formosus Apollo.

[3] *Agl. p.* 505.

[4] Ex Lobeckii conjectura pro ὁ Φόρκυς (*Agl. p.* 509).

unum probant, Proculum in Theogonia Orphica etiam de quodam Phorco Οὐρανίδῃ h. e. Titane aliquid dictum reperisse. Qua ex re quamvis concludere non liceat,[1] Platonem illo Timaei loco ex uno eodemque carmine vulgaris theologiae lineamenta excerpsisse quo Proculus usus sit, tamen facile fieri potuit, ut quidam recentioris aetatis Pseudoorpheus ex veteris Orphei libro cum alia tum illum Phorcum Titanem delibaret. Quid enim? Nonne Rhapsodiarum scriptor summae impietatis nec non imprudentia, damnandus esset, si ipse Orphei nomen sibi induturus sincerum atque legitimum qui tum habebatur Orpheum prorsus neglexisset, dum Homerum et Hesiodum[2] sexcenties imitabatur? Nec desunt in ipsis duobus versibus a Proculo traditis, quae huic conjecturae faveant. Apud Hesiodum enim legimus: Γαῖα ......

Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην
Κοῖόν τε Κρῖόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε,
Θεῖάν τε Ῥεῖαν τε Θέμιν τε Μνημοσύνην τε
Φοίβην τε χρυσοστέφανον Τηθύν τ' ἐρατεινήν (Theog. v. 132 sq.).

Duodecim ibi sunt Titanes et Titanides. Cur igitur in Orphicis Rhapsodiis hic solemnis δωδεκάδος numerus abiectus est, cur Titanibus Phorcus Titanidibus Diona addita est[3] ita ut in iis caneretur:[4] Γῆ

ἕπτα μὲν εὐειδεῖς κούρας, ἑλικώπιδας, ἁγνάς,
ἕπτα δὲ παῖδας ἄνακτας ἐγείνατο λαχνήεντας?

---

[1] Nam praeter hoc unum, quod simile est, multa sunt discriminis indicia inter Rhapsodias et Platonis Orpheum intercedentis. Timaeus enim a Coelo omnes deos oriundos facit et Oceanum Titanum patrem habere videtur; Proculianae vero Theogoniae auctor Oceanum Saturni ceterorumque Titanum fratrem fingit, ita ut Titanes non nepotes sed filii Coeli reddantur, et ipsi Coelo patri Chronum, Chaos Aetheremque, Phanetem, Noctem praemittit.

[2] De Homero *cf. Agl. p.* 517, 521 *N. y.* 539 coll. 607 *sq.* 546, 554, 558, 592; de Hesiodo *p.* 504, 505, 509?, 542, 564, 567? (Malo secundum Lobeckii Aglaophamum citare quam secundum Mullachii collectionem fragmentorum philos. Graec., quia in hac multa desunt, multa mirum in modum confusa, discerpta, conglutinata videntur). Orpheum magis ab auctore Hesiodeae theogoniae excerptum esse Gerhard (l. c. p. 58 N. 75 et *Ueber die hesiodische Theogonie* [*Berlin* 1856], p. 139) et R. Merkel (*Philologus, XVII,* 138 *sq.*) iudicaverunt. Sed cf. quae infra dicturus sum.

[3] *Agl. p.* 505.

[4] Proculus *in Tim. II,* 137 *B (ed. Schneider).*

Nam hoc fortuito factum esse vix crediderim. Nimirum id fere hunc in modum accidisse arbitror. Puto enim veteris Theogoniae Orphicae a Platone laudatae auctorem nomina Titanum, quae Hesiodus refert, intacta reliquisse praeter Oceanum et Tethyn, quos nescio qua de causa eorum parentes reddere voluerit. Ut autem vetus numerus integer maneret, eorum loco qui exciderunt Phorcum et Dionam inseruit. Recens vero Rhapsodiarum diasceuasta cum Titanum nomina ex antiquo libro in suum translaturus Oceanum et Tethyn, deos praestantissimos, nec plane ommittere neque eos illorum parentes relinquere vellet,[1] ita se fortasse difficultate expedivit, ut eos honore privatos rursus in Coeli liberorum numerum redigeret nihil curans, quod sic quatuordecim Titanes orirentur. Ad quod perpetrandum cum opus esset, ut removeret, quaecunque de Oceani dynastia narrata essent, fortasse tum illi duo versiculi a Platone in Cratylo appositi, quos supra mirati sumus a Proculo non commemorari, e carmine exciderunt.

Sed haec nescio an praepostere dicta sint. Etsi enim iis, quae modo disputavi, verisimile factum esse puto, Platonem in Timaeo quandam Orphei theogoniam respexisse non dissimilis argumenti eorum, quae de Novorum Platonicorum theologia Orphica noverimus, tamen inde non sequitur, valere idem de Cratyli loco. Poterat enim Plato in diversis dialogis diversis Orphei carminibus uti. Profecto, poterat quidem, sed eum re vera usum esse mihi non admodum credibile est. Quid? cum in utroque Orphico libro de deorum ortu et genealogiis dissertum esse ex Cratyli et Timaei verbis appareat et satis idonea causa inveniri possit, de qua postea illi versus in Cratylo commemorati exciderint, nonne simplicius ideoque verius est suspicari, Platonem non duo Orphei opera plane eiusdem argumenti in manibus habuisse, sed unam tantum Orphicam Theogoniam secutum esse? Verum unus restat scrupulus. Etenim dicat quispiam, pugnare ea, quae ex Cratylo accipiamus, cum Timaei relatione, quoniam illic Oceanus et Tethys primi nuptias fecisse dicantur, hîc vero iidem dii ex Coeli et Terrae conjugio fingantur orti esse. At cum Tethys in

---

[1] Quia, opinor, tum temporis ubique et ab omnibus inter Titanum numerum referebantur.

illis Cratyli versibus Oceani κασιγνήτη ὁμομήτωρ vocetur, etiam ibi parentes eorum ponuntur. Quid? Et nihilominus primi matrimonium inierunt? Nonne ita praeter opinionem ad Lobeckii sententiam relabimur illud πρῶτος ἦρξε γάμοιο intelligentis, quasi Oceanus primus inter fratres uxorem duxerit? Quod si concedimus, actum est de consensione Cratyli ed Timaei, quod ita Oceanus non parens, sed frater Titanum exsistet. Sed Oceanum etiam Cratyli loco a ceteris diis segregari tanquam eorum principium, ostendunt verba illos versus antecedentia Ὅμηρος Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν φησι καὶ μητέρα Τηθύν. Nam Socratem eo „*furoris divini*“ processisse, ut ingentes etymologiarum ampullas Hermogeni projicere non satis habuerit, sed etiam demonstraturus omnes utique res ex motu nasci[1] ita extra licitos citandi terminos vagatus sit, ut Orpheum de cujuslibet Titanis nuptiis verba facientem non minus quam Homerum[2] sententiae suae acciret auctorem, haec inquam vix crederem, nisi verba sequentia οἶμαι δὲ καὶ Ἡσίοδος rursus dubitationem injicerent. Ubi enim Hesiodus similia atque Homerus de Oceano narrat? Sed fortasse in tanta Cratyli corruptela illa verba glossema ducere licet. Hoc autem dato viam conspicere mihi videor, qua illud πρῶτος ἦρξε γάμοιο commode explicari possit, quamvis Oceanus Tethysque non sint ἀγέννητοι. Nimirum haec verba non solum significare possunt, Oceanum primum cum muliere consuetudinem habuisse, sed etiam eum primum justum et auspicatum matrimonium iniisse, postquam iam antea Coelus cum Terra et aliis deabus[3] concubuerit. Eiusmodi enim compressus (cf. *Hes. Theog. v.* 175 *sq.*) a poeta in nuptiarum loco rite paratarum non numerabantur. Id quod iam Scholiastam sensisse opinor ad locum nostrum haec adnotantem: ὤπυιεν) ὡμίλει, συνεγίνετο κατὰ νόμον καὶ ἐμίγνυτο, συνῴκει. Nec desunt exempla,[4] quibus demonstrari possit, non

[1] Cf. Plato, *Theaet. p.* 152 *E.*

[2] De Homeri locis Il. 14, 201 *coll.* 302; 244 *sq.*; 21, 195 cf. Nägelsbach, *Homerische Theologie* (2. *Aufl.*, *Nürnberg* 1861), *p.* 77 *sq.*

[3] Coelum non tantum ex una dea liberos procreasse, ex eo manifestum est, quod Thethys illis Cratyli versibus „uterina“ soror Oceani vocatur. Fortasse Nox ei Centimanos, Cyclopes, Parcas enixa est.

[4] Praeter id quod in textu positum est conferas, quod apud Homerum (*Il.* 5, 898) Titanes Οὐρανίωνες vocantur. Inter quos cum Oceanus quoque numerandus sit, is

omnes illorum deorum conjunctiones matrimonia habita esse, qui nominibus naturalibus praediti et magis notionum tenuium quam personarum animantium natura et habitu induti sint quique a recentioris aevi hominibus cogitatione ficti, non ab ultima antiquitate recepti videantur.[1] In ipsa Proculi Theogonia Orphica Terra πρώτη νύμφη vocabatur eiusque cum Coelo conjugium πρώτιστος γάμος, quamvis Phanetis cum Nocte commercium, ex quo Coelus et Terra nati sunt, his versibus celebretur:

ποιμαίνων πραπίδεσσιν ἀνόμματον ὠκὺν ἔρωτα

et

αὐτὸς ἑῆς γὰρ παιδὸς ἀφείλετο κούριον ἄνθος.

Id quod Proculus[2] ita excusat: οἰκεῖος, inquit, ὁ γάμος τῇ τάξει ταύτῃ — Πρώτην γὰρ νύμφην ἀποκαλεῖ τὴν Γῆν καὶ πρώτιστον γάμον τὴν ἕνωσιν αὐτῆς τὴν πρὸς τὸν Οὐρανόν . . . Φάνητος δὲ οὐκ ἔστι γάμος ἡνωμένων ἀλλήλοις νοητῶς .... καὶ ἔοικε διὰ ταῦτα καὶ οὐρανῷ τούτῳ καὶ γῇ προσήκειν ὁ γάμος .... ὃ δὴ καὶ οἱ θεσμοὶ τῶν Ἀθηναίων εἰδότες προσέταττον Οὐρανῷ καὶ Γῇ προτελεῖν τοὺς γάμους κτλ. Quid igitur, si in vetere Orphei Theogonia similem in modum non Coelus et Terra, quorum iam nomina naturalia magis sunt quam positiva, sed Oceanus et Tethys auctores et patroni tradebantur matrimonii? Certe eos deos maritimos aptissimos fuisse, ad quos matrimonii ortus relati sint, cum Aristoteles[3] docere potest, qui quosdam physiologos et theologos propterea aquam omnium rerum principium habuisse dicat, quod omnia ex madido nasci videantur; tum ipse Homerus, quem

ipse deus, qui aliis locis omnium deorum principium vocatur, Coeli filius est. Attamen cf. quae Nägelsbachius (l. c. p. 78) in contrariam partem disputavit. — Alexander Aphrod. Hesiodum non a Chao, sed a Nocte filia ordientem facit, ea de causa opinor, quod ei Nox saltem aliquanto dignior deae nomine visa est quam illud Chaos.

[1] Cf. Nägelsbach, l. c. p. 76.

[2] In *Tim. V,* 293 *C.*

[3] *Metaph. (ed. Becker) I,* 983 *b,* 20 *sq.*: Θαλῆς (ἀρχὴν) ὕδωρ εἶναί φησιν .... τὴν ὑπόληψιν ταύτην λαβών . . . διὰ τὸ πάντων τὰ σπέρματα τὴν φύσιν ὑγρὰν ἔχειν, τὸ δ' ὕδωρ ἀρχὴν τῆς φύσεως εἶναι τοῖς ὑγροῖς. εἰσὶ δέ τινες οἳ καὶ τοὺς παμπαλαίους καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας οὕτως οἴονται περὶ τῆς φύσεως ὑπολαβεῖν. Ὠκεανόν τε γὰρ καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας κτλ. Orpheum et Homerum ibi Aristoteles in mente habere videtur. Cf *Damasc. l. c. p.* 383 οὐ γὰρ ἀποδεκτέον Εὐδήμου λέγοντος, ὅτι (Ὅμηρος) ἀπὸ Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἄρχεται.

non minus quam Orpheum Oceano eiusque conjugi aliquod connubii patrocinium adscripsisse mihi ex iis, quae Naegelsbachius de his diis profert,[1] persuasum est. Ut igitur verbo sententiam dicam, puto veteris Orphici carminis poetam ex Homero praeter multa alia etiam doctrinam sumpsisse, ex qua omnium rerum principium Oceanus vel aqua dicatur; deinde vero vel Hesiodi exemplo adductum vel quia ipse animadvertisse sibi visus sit, ipsam aquam de coelo in imbribus delabi et a terra excipi, Coelum Terramque ab exordio ponere maluisse philosophematis sui gratia, sed nihilominus propriam generandi vim ab Oceano et Tethye repetere minime desiisse. Itaque nulla inter illos Timaei et Cratyli locos differentia relinquitur.

Quod si ita est, primum ex duobus versibus in Cratylo allatis colligere licet, Platonis aetate doctrinam Orphicam de deorum ortu et successione non tantum fando in mysteriis traditam, sed iam litteris mandatam fuisse; ex Timaeo vero assequendum est, qualis earum genealogiarum ordo et argumentum fuerit. Frustra autem ibi Rhapsodiarum Chronum, frustra Chaos et Aetherem, frustra Phanetem requirimus, nihil ibi pantheismi, nihil redintegrati per Jovem mundi; sed omnia trita et usitata et paene nihil ab Hesiodi Homeri ceterorumque Graeciae scriptorum veterrimorum de diis opinionibus recedentia. Etenim si ex Platonis Timaeo et Cratylo iudicandum est, theologus noster fere hunc in modum genealogias suas disposuerat et adornaverat. Ex Coelo et Terra[2] nascuntur Oceanus et Tethys. Ii Titanes procreant, quorum maximus natu fortasse Phorcus, princeps Saturnus erat. Saturni et Rheae filius Jupiter est mox in patris locum regno successurus. A Jove tandem novissima deorum proles oritur. Ita quinque gentes aetatesque sese excipiunt Coeli, Oceani,[3] Saturni,

[1] L. c. p. 79.

[2] Praeter Terram Coelo alium quoque vel alias conjuges fuisse, iam supra dictum est.

[3] Miranti mihi, quid tandem effecisse dici posset, ut Oceanus solus non cum Titanibus contra Coelum rebellantibus faceret, semper hujus rei, ea videbatur causa esse, quod Oceanus proprie ne numeraretur quidem inter Titanes. Cum enim filius esset Coeli, magis quam nepotes religione atque pietate prohibitus est, quominus a patris regno deficeret (οὐκ ἀφίσταται τῆς τοῦ πατρὸς βασιλείας. *Procl. Crat. p.* 295 sq. cf. *Apollod. Bibl. I,* 1. 4 et *Aesch. Prom.*, ubi non minus Oceanus procul est a

Jovis, filiorum Jovis. Profecto simplex et ab antiquissimae Graecorum mythologiae tenore non aliena dispositio. Quam ego eo lubentius rectam et sinceram esse crediderim, quo facilius ita ceteri quoque Platonis de Orpheo loci explicari possunt. Quid enim, si celeberrimus ille versus in Philebo[1] a Socrate iamiam peroraturo usurpatus:

ἕκτῃ δ' ἐν γενεᾷ καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς·

non ex alio quodam obscuro Orphei libro veluti ex Catabasi[2] sumptus est, sed ex eadem Theogonia, quam saepius citasse Platonem modo vidimus? Certe nescio, quomodo poeta, cum enumeratis illis quinque deorum gentibus carmini suo theogonico heroogonia omnissa finem impositurus esset, aptius et elegantius perorare potuerit quam illis verbis, quibus Musas in celebrando sexto i. e. heroum genere subsistere iuberet. Sed oponitur,[3] propterea non de Musis cogitandum esse, quod poetae eas ad auspicandum quidem cantum incitare soleant, ad finiendum non item. At hunc morem tam sanctum et inviolabilem ab omnibus poetis habitum esse, ut ne unus quidem eum violare ausus sit, etsi graves suaderent rationes, vix credibile est. Orpheum autem, ut hanc legem migraret, id opinor adduxit, quod spreto Hesiodi exemplo theogoniae heroogoniam addere nollet. Quod discrimen ut lectorum oculis quam maxime obtruderet, fortasse iis locis, quibus Hesiodus maiorum deorum ortu narrato cum invocatione Musarum[4] pergit ad

Titanum consilio, quamvis ibi v. 205. Οὐρανοῦ τε καὶ Χθονὸς τέκνα vocentur, non Oceani).

[1] *Phileb. p.* 66 *C.* — Philebum quoque Schaarschmidt *l. c. p.* 277 *sq.* subditicium esse putat. Aristotelis locum *Eth. Nic. X,* 2, *p.* 1172 b 28 non ex *Philebo p.* 22 *A sq.* cf. 60 *C* ductum, sed Philebi auctorem Aristotelis verba secutum esse vult. Ad quae apposite respondit Georgii loco iam supra laudato et Bonitz, *Hermes*, 1869, *III*, 447.

[2] *Agl. p.* 790. — O. Mueller, *Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie* (*Göttingen* 1825), *p.* 385 hunc versum de animarum migratione dictum esse putavit, quocum consentit Gerhard, *Ueber Orph. p.* 65 *N.* 109.

[3] A. Lobeckio, *Agl. p.* 789. Ceterum Theocriti Thyrsis (Id. I, 64—143) prima cantus parte hoc utitur verso intercalari:

Ἄρχετε βουκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς,

altera vero parte hoc:

Λήγετε βουκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, λήγετ' ἀοιδᾶς.

Id quod ab illo καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς non multum videtur distare.

[4] *Theog. v.* 965: νῦν δὲ θεάων φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες κτλ. coll. v. 1021 sq.

deorum et mortalium filios, aliam Musarum invocationem quasi e contrario posuit, qua iam non porro pergi indicaret. Ita nec Platoni novus liber Orphicus vindicandus nec quidquam mutandum[1] est in versiculo isto.

Deinde si rectum est, quod supra invenimus, non multum philosophiae a profano vulgo absconditae in Orphei Theogonia delituisse, imo ne tantum quidem quantum in Hesiodeo Chao atque Amore, etiam cetera, quae a Platone de Orpheo discimus, cum Timaei et Cratyli locis concinunt. Nusquam enim Plato nos in Thracio poeta mirandas de ultimis rerum principiis revelationes quaerere iubet, sed ubivis eum magis mysteriorum et consecrationum quam cujusdam philosophicae sectae parentem esse significat. An quisquam serio Protagorae[2] crediderit Orpheum τελετάς suas et χρησμῳδίας eo consilio factitasse putanti, ut sub praetextu earum sapientiam suam sophisticam venderet? Neque ex Euthyphrone (p. 6) aliquid redundat, quod doctrinae mundi post tempus aeternum conditi iterumque renovati et consummati aliorumve dogmatum per Orpheum in Graeciam advectorum suspicionem excitet. Quamquam ibi bonum et religiosum Euthyphronem Orphicae theogoniae fabulas in mente habere, minime nego. Etsi enim Lobeckio assentari non possum verba καὶ ἔτι γε τούτων θαυμασιώτερα, ἃ οἱ πολλοὶ οὐκ ἴσασιν pro altero carminis prorsus ejusdem, quod Proculus laudet, iam a Platone lecti indicio vendicanti,[3] tamen concedendum puto, iis quosdam Orphicos libros denotari, quos multitudini non interdictos quidem, sed tamen a paucis tantum vel curiosis vel Orpheotelestarum mysteriis initiatis hominibus lectitatos fuisse satis constet. Tum vero ex illo Orphicarum βίβλων ὁμάδῳ[4] imprimis Theogonia digna videtur, ex qua variae fabulae de stupendis deorum facinoribus, quas Euthyphro significare videtur,

[1] Id quod Lobeckius l. c. multifariam fecit.

[2] *Protag. p.* 316 *D:* πρόσχημα ποιεῖσθαι καὶ προκαλύπτεσθαι τοὺς μὲν ποίησιν οἷον Ὅμηρόν τε καὶ Ἡσίοδον καὶ Σιμωνίδην, τοὺς δὲ αὖ τελετάς τε καὶ χρησμῳδίας τοὺς ἀμφί τε Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον κτλ., Cf. *Rep. II*, 364 *E*. Fortasse etiam locus *Phaedr. p.* 244 *D sq.* huc referendus, cf. *Agl. p.* 636 *sq.*

[3] *Agl. p.* 602.

[4] *Rep. II*, 364 *E.*

depromptae sint. Haec igitur aliqua θαυμασιώτερα oportet continuerit, quam quae ab omnibus in Homero vel Hesiodo legerentur, sed quae illa fuerint, vereor, ut etiamnum conjectura assequendum sit. De Chrono, de Ovo mundano, ex quo Phanes nascitur, de eius desorptione per Jovem facta ne Lobeckius quidem cogitat. Saturni praeter Coeli exsectionem[1] et Dionysi Zagrei caedem denotari non refragabor, sed res incerta est. Fortasse vetus poeta, utpote qui Homeri et Hesiodi imitator imitatorum vitium non effugisset, illorum quasdam modestas et decentes narratiunculus veluti de Junonis et Jovis commercio,[2] de Metidis cataposi, de deorum Olympicorum et Centimanorum cum Titanibus pugnis, de Briarei auxilio Jovi lato (Il. 1, 397 sq.) aliisque rebus vel turpiter vel ferociter a diis factis pinguius descripsit et exornavit, ita ut a solemni fabularum relatione non paullum recederet. Qua re cum ne hinc quidem aliquod indicium emergat, quo Orpheus opinionum sophisticarum damnari possit, valde dubito, Platonem (*Soph. p.* 242 *D*)[3] verbis τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔθνος ἀπὸ Ξενοφάνους τε καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων οὕτω διεξέρχεται τοῖς μύθοις eum inter Eleaticorum praecursores referre voluisse.

[1] *Agl. p.* 516.

[2] *Il.* 14. 292 *sq.* Quae si Orpheus revera ea carminis sui parte, quam a Grammaticis τὸ περὶ Διὸς καὶ Ἥρας appellatum esse Lobeckius conjicit (*Agl. p.* 607), tam obscoene exornavit, ut ab eo potissimum foedissimae Parrhasii et Chrysippi Musae stimulos acciperent (cf. *Diog. L. ed. Cobet* [*Parisiis* 1862], *VII*, 7. 12 *p.* 201: *Clem. Homil. ed. Dressel* [*Gottingae* 1853], *V*, 18 *p.* 147 aliaque testimonia a Lobeckio congesta *Agl. p.* 606), sane Euthyphro iure dicere potuit καὶ ἄλλα σοι ἐγὼ πολλὰ . . . περὶ τῶν θεῶν διηγήσομαι, ἃ σὺ ἀκούων εὖ οἶδ' ὅτι ἐκπλαγήσει. Ceterum Metidis uxoris Jovis, cataposin in Rhapsodiis praetermissam in vetere libro infuisse, infra demonstraturus sum. — Giseke *l. c. p.* 79 et 81 Junonis et Jovis commercium in unam illarum Τελετῶν relegare mavult. Quod tamen ex locis quos allegat *Dio. Chrys.* 36. 453 ὑμνοῦσι παῖδες σοφῶν ἐν ἀρρήτοις τελεταῖς Ἥρας καὶ Διὸς εὐδαίμονα γάμον et Procul. in *Tim. I*, 16 τὴν αὐτὴν ἑτέροις ἢ τὸν αὐτὸν πλείοσι συζεύγνυσθαι, λάβοις ἂν ἐκ τῶν μυστικῶν λόγων καὶ τῶν ἐν ἀπορρήτοις λεγομένων ἱερῶν γάμων mihi non videtur liquere. Non enim de scriptis, sed de mysteriis Orphicis his locis sermo est.

[3] Quod nonnulli viri docti Sophistam Platoni abiudicaverunt, nihil huc pertinet. Cum enim nihilominus Schaarschmidt (l. c. p. 181) hunc dialogum ante Aristotelem scriptum esse concedat, non dubium est, quin auctor eius eundem legerit Orpheum, quem Plato et Aristoteles.

Nihildum enim illius „materialis pantheismi"[1] Orphici apud Platonem comparet, nisi forte putas, eum propterea vatem Libethrium pantheismi accusasse, quod Oceanum omnium rerum patrem reddiderit, id quod a Platonis more atque ingenio non ita alienum est. Attamen eo modo non minori iure Homerus pantheista vocari poterit.

Cum igitur ea quae adhuc attuli nec perspicuis et dissertis verbis et argumentis nos cogant, ut ante Coelum alios in vetere Orphei Theogonia deos praecessisse fingamus, nec quasi per ambages nos ita ad eos conducant, ut cujusdam doctrinae cum iis necessario connexae vestigia prodant, imo omnia consentiant, Orphicas Genealogias (licet nonnullis locis obscoenitates et facinora deorum alibi non obvia continuerint) omnino sic dispositas fuisse, ut toto ordine ac progressu carminis aliquam peculiarem de rerum principiis atque natura doctrinam non prodiderint, propterea, inquam, mihi iam nunc persuasum est, veterem librum non eundem fuisse cum eo, quo Proclus usus sit, sed a Rhapsodiarum auctore varie esse mutatum.

§. 3.

Sed quid tandem? Ergone iis quae notae sunt, tribus vel quatuor Orphicis theogoniis nova insuper addenda erit? Profecto, nisi quae modo disputavimus gravioribus argumentis diluantur. Verum ne in minima quidem causa simplicitatis oppugnator videar, agedum damnum sarcire conabor. Forsitan enim Rhapsodiis in duas partes, antiquiorem et recentiorem, discerptis contingat, Aristotelis et Eudemi Orpheum prorsus cum Platonico, a quo adhuc diversus habebatur, connectere et quasi conferruminare, ita ut altera addita altera subtracta theogonia tralaticius numerus non laedatur. Etenim quantacunque diversitas est rhapsodicae et Eudemi quae dicitur Theogoniae, tamen haec ab iis, quae Plato de Orpheo tradit, haud multum videtur distare. Primum enim quae Eudemus ipse narrat:[2] τρεῖς πρῶται κατ' Ὀρφέα ἐξεβλάστησαν ἀρχαὶ νὺξ καὶ γῆ καὶ οὐρανός, probant, in hac quoque Orphica theogonia initium a Terra et Coelo captum esse.

[1] *Agl. p.* 613.
[1] Apud Lydum, *De mens. ed. Schow* (*Lipsiae* 1794), *II*, 7, *p.* 19; cf. *Agl. p.* 494.

Nisi igitur Nox adderetur, quam Platonem nullo loco commemorare vidimus, concentus cum Timaei verbis non dubius esset. At enim illam non tam absonam duco, ut nullo pacto ab harmonia disturbanda avocari possit. Scilicet verborum Eudemi sensus non est, Orpheum statim ab initio tria simul principia posuisse, Noctem, Terram, Coelum, sed ex Nocte tanquam matre Coeli et Terrae syzygiam ortam finxisse. Id quod non solum communi Graecarum theogoniarum more evincitur fere semper per dyades[1] primas genealogias deducentium et ab uno tantum principio ceteros deos derivantium, sed etiam aliis et Eudemi et Aristotelis, magistri eius, locis maxime perspicuis comprobatur. De Eudemo Damascius[2] haec tradit: Ἡ παρὰ τῷ Περιπατητικῷ Εὐδήμῳ ἀναγεγραμμένη ὡς τοῦ Ὀρφέως οὖσα θεολογία πᾶν τὸ νοητὸν ἐσιώπησεν ὡς παντάπασιν ἄῤῥητον ... ἀπὸ δὲ τῆς Νυκτὸς ἐποιήσατο τὴν ἀρχὴν, ἀφ' ἧς καὶ ὁ Ὅμηρος . . . οὐ γὰρ ἀποδεκτέον Εὐδήμου λέγοντος ὅτι ἀπὸ Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἄρχεται. Φαίνεται γὰρ εἰδὼς καὶ τὴν Νύκτα μεγίστην οὕτω θεὸν ὡς καὶ τὸν Δία σέβεσθαι αὐτήν· „ἄζετο γὰρ μὴ Νυκτὶ θοῇ ἀποθύμια ῥέζοι." Aristoteles vero verbis[3] οἱ θεολόγοι οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες Orpheum eiusque praecones in mysteriis cognominibus denotare videtur.[4] A sola Nocte igitur,

[1] *Hes. Theog. v.* 116 *sq.* post Chaos Terra et Tartara oriuntur, deinde ex Chao Erebus et Nox, ex his autem Aether et Dies. Amor vero duobus primis syzygiis interponitur solus iccirco, opinor, quia Hesiodi vel ejus interpolatoris temporibus illo Empedocleo νείκει ad res ordinandas et mutandas nondum opus esse videbatur (cf. *Arist.*, *Met. I*, 4, *p.* 985 *a* 1 et 29). — Deinde solus Epimenides duo ab initio principia ponit Noctem et Aërem. Nam Hellanicum in theogonia sua Orphica Aquam et Limum primo loco collocantem non arcessiverim, cum mihi recentiori demum aetate scripsisse videatur (cf., quae in Epimetro dicturus sum).

[2] *L. c. p.* 382.

[3] *Met. XI*, 6, *p.* 1071 *b* 27.

[4] Cf. *Agl. p.* 488, Brandis, *Handbuch der Griechisch-Römischen Philosophie* (*Berlin* 1835) *I*, 65; Zeller, *l. c. I*, 68 *N.* 2. Equidem etsi non nego, Aristotelem verbis suis Acusilaum quoque et Epimenidem una cum Orpheo significare voluisse, qui Nocti Erebum Aëremve conjunxerint, tamen temerarium puto, si quis eum Orpheum ne in mente quidem habuisse contenderit. Quod enim Alexander Aphrodisiensis „omnibus locis, ubi Aristoteles τοὺς θεολόγους, τοὺς πρώτους θεολογήσαντας, τοὺς παμπαλαίους antestatur, in Homero sese atque Hesiodo continet, Orphei autem in libris a Sepulveda translatis ne nomine quidem utitur" *(Agl. l. c.)*, nos deterrere non potest, quominus ipsum Aristotelem Orpheum legisse dicamus. Ceterum Alexandrum quoque (nisi fallor in comment. ad Meteor.) Orphei Θεογονίαν commemorare, satis memini.

non a tribus primis principiis Orpheus Eudemi orsus est. Nihilominus autem verba τρεῖς πρῶται κατ' Ὀρφέα ἐξεβλάστησαν ἀρχαί recte se habent, cum Noctem subsequantur Terra et Coelus. Subsequantur, inquam. Nam ne hoc quidem certum est, Terram et Coelum a Nocte progigni, sed cum etiam de Nocte illud ἐξεβλάστησαν valeat, suspicor rem similem fuisse iis, quae apud Hesiodum de Chao, Terra, Tartaro, Amore legamus.[1] Ubi cum primum omnium Chaos exstitisse dicatur, deinde vero Terra Tartarusque et Amor, eodem iure modo de uno modo de quatuor principiis in Theogonia Hesiodea obviis sermo fieri potest. Sic etiam Eudemus, prout principii notionem aut pressit aut relaxavit, alio loco unam ἀρχήν alio tres enumerat, a quibus Orpheus initium canendi fecerit. Quid? quod ne ita quidem omnes in adornandis illis tribus principiis varietates persecuti sumus. Consideranti enim, quanta in laudandis aliorum sententiis licentia veteres scriptores usi sint, mihi non praeter existimationem accidet, si quem eorum praecisa Nocte Orpheo duo principia, Terram et Coelum, adscribere viderim. Ac vereor, ne Plato re vera id fecerit illo Timaei loco. Qui cum non id ageret, ut suam de prima causa et οὐσίᾳ sententiam contenderet cum aliorum praeceptis ad amussim delineatis,[2] sed ut vulgaris theologiae summam traderet, facile Noctem vel incuria, vel quia eam a ceterorum deorum natura et victu nimis abhorrere sensit, praetermittere et ab Coelo et Terra deorum genera et dynastias deducere potuit. An Platoni non licuit, primam illarum

[1] *Theog. v.* 116 *sq.*:

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης
ἠδ' Ἔρος κτλ.

Deinde primum v. 123—125, quae ex Chao nascantur, poeta narrat et v. 126 sq. Terrae progeniem recenset. Tartarus nihil ex se ipso procreat, sed ex Terra tantum Typhoea gignit. Quartum denique principium (Ἔρως) infecundum est. Cf. *Plato, Symp. p.* 178 *B*: Ἡσίοδος πρῶτον μὲν χάος φησὶ γενέσθαι, αὐτὰρ ἔπειτα φησὶ μετὰ τὸ χάος δύο τούτω γενέσθαι, Γῆν τε καὶ Ἔρωτα.

[2] Etenim si quis aliam argumentis convincere studet, frustra laborat, nisi eius opinionem accurate et distincte lectoribus describat. Ita fit, ut Aristoteles loco supra apposito, ubi de prima causa acute disputat, Orpheum theologum ἐκ νυκτὸς γεννῶντας vocet, alias vero Nocti Coelum addere non cunctetur.

πρώτων ἀρχῶν quas Eudemus commemorat, silentio praeterire, cum Aristoteles,[1] quem eas novisse supra vidimus, Met., XIV, 4, p. 1091 b. 4 tertiam omiserit? Nam verbis οἱ ποιηταὶ οἱ ἀρχαῖοι ταύτῃ ὁμοίως, ᾗ βασιλεύειν καὶ ἄρχειν φασὶν οὐ τοὺς πρώτους οἷον νύκτα καὶ οὐρανὸν ἢ χάος ἢ ὠκεανόν. ἀλλὰ τὸν Δία tres significari clarissimos poetas, Homerum, qui Oceanum, Hesiodum, qui Chaos, Orpheum, qui Noctem Coelumque principes reddat, spero fore ut omnes concedant, postquam nunc satis manifestum factum est, unde hîc iste Coelus emergat, quem Aristoteles altero loco non commemorat. Etenim Stagirites ea disputationis suae parte nihil spectat, nisi ut demonstret, eos qui certos deos ab initio ponant cum iis facere, qui summum bonum ab elementis vel principiis removeant et id τὸ ἓν esse pernegent. Orpheum igitur non minus quam Homerum et Hesiodum optimum ac potentissimum deum post alia imbecilliora numina ponere, admonet; quam uxorem habuerit primus deus, narrare supersedet.[2]

Itaque illa Nox mihi quidem non videtur impedimento esse, quominus Aristoteli, Platonis discipulo, et Eudemo, eiusdem in disciplina quasi nepoti, Orphei theologiam a magistro lectitatam saepiusque in dialogis laudatam notam fuisse concedamus. An praeferendum videtur, duos fingere Orpheos, dissociare Platonem et Aristotelem, nihil certi respondere, si quis miretur, nullibi in Metaphysicis verbum inveniri, quo aliquando aliam quoque theogoniam Orphicam exstitisse significetur? Et qua tandem de causa? Scilicet quia Plato Noctem non dissertis verbis commemorat atque nomine appellat. Etenim ea, quam adhuc nacti sumus, luce adspersa forsitan etiam contingat, caligines, quibus se Nox apud Platonem obvolvit, scindere et ipsam deprehendere, quamvis eius nomen nusquam appareat. Nam illo Cratyli loco supra laudato Tethys Oceani κασιγνήτη ὁμομήτωρ nuncupatur. Ergo Coelus pater praeter Terram, eorum matrem, aliam quo-

[1] Similiter etiam *Met., I,* 8, *p.* 989 *a* 10 (φησὶ δὲ καὶ Ἡσίοδος τὴν γῆν πρώτην γενέσθαι τῶν σωμάτων) Chaos ante Terram positum esse reticet.

[2] Ita idem Aristoteles (*Met., I,* 4, *p.* 984 *b* 27: Ἡσίοδος δὲ „πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα γαῖ' εὐρύστερνος, ἠδ' ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν") non solum versum γαῖ' εὐρύστερνος κτλ. mutilat, sed etiam sequentem, ubi Tartara commemorantur, prorsus negligit, quia solus Amor ei curae est.

que habuit uxorem. Quam Noctem fuisse, haud veri absimile est. Nam praeter eam nulla quod sciam dea est, quae in deorum genealogiis Terram vel anteire vel parem cum ea locum obtinere possit.[1] Coelum autem cum matre sua (haec enim Nox est secundum Aristotelem et Eudemum) commercium habuisse, nemo mirabitur, qui perpenderit, apud Hesiodum quoque Terram Coelo et Ponto filiis nubere. — Postremo si quis Lobeckio dare velit, Sophistae loco supra allegato Orpheum denotari, sed tamen illud ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων de Oceano intelligere recuset, en! adest Nox, ex qua omnia, quae sunt, continuo ordine produci queant.

§. 4.

Jam quisquis ex antiquissimis scriptoribus eruendum esse nobiscum statuit, qui antiquissimo tempore ordo et species theogoniae Orphicae fuerit, fortasse nunc concedet, gravissimos illorum locos non ultra Noctem deorum originem relegare. Quamvis igitur tam pauca sint, quae nobis de Orpheo a Platone, Aristotele, Eudemo narrantur, ut non nisi quinque deorum γενεάς a Nocte ortas staminum instar intendere liceat, neque accurate dici possit, quae a vetere quae a recentiore poëta subtexta sint, tamen hoc unum videtur certum esse, quaecunque in fragmentis Noctem antecedant, antiquissimo carmini non esse vindicanda. Quod si ita est, mirum esset, nisi in fragmentis quoque aliqua vestigia remansissent, quae eo ipso loco, ubi de Nocte sermo fit, carmen consutum esse arguerent. Nec, si recte video, spes nos fallit. Nihil enim dico de stilo atque dicendi genere partium Noctem praeeuntium[2] nimis ornato, anxio et a ceterorum versuum antiqua simplicitate et venustate valde remoto—; nam cum de hymnis Orphicis elegantissimorum doctissi-

[1] Eurynoma ab Apollonio (*Argon. I*, 503) ante ceteros deos Olympicum regnum tenuisse dicitur. Ipsa autem non solum post Chaos (v. 496—497), sed etiam post Oceanum nata est, cum eius filia vocetur.

[2] Nec non earum, quibus de Phanetis cataposi agitur. Ut unum exemplum proferam, quis tulerit eiusmodi epithetorum coacervationem et etymologiarum ineptias, quales proponuntur in versibus a Macrobio asservatis (*Agl. p.* 498, cf. infra *p.* 28)? Itaque Lobeckii iudicio (*Agl. p.* 611) non nisi exceptis iis, quas modo dixi, partibus subscribere possum.

morumque virorum iudicia ita discrepent, ut alii in iis versuum elegantiam mirentur et propter summae vetustatis colorem eos laudibus extollant,[1] Lobeckius vero eos tanquam inficetas trivialesque cantilenas increpet, non tantum mihi sumo, ut discernam ex sermonis colore, qui versus vetustiorem qui recentiorem originem redoleat. Sed sufficit, totum rerum progressum, qualis in fragmentis traditur, animo perlustrare, ut cognoscamus, hiatum esse inter Phanetem et Noctem a fragmentorum auctore descriptos haud facilem superatu. Quicunque enim a quovis carminis theogonici scriptore poposcerit, ut possit prima ab orgine mundi

ad sua perpetuum deducere tempora carmen

aut certe, si magis libet, ad novissimam deorum prolem,[2] eum miraturum esse existimo, quonam consilio Orpheus, postquam ex Chrono Chaos Aetheremque, ex his Ovum Mundanum, ex eo denique praeclarum Phanetem prodeuntem fecisset, hunc vix rerum potitum Nocti regnum tradentem finxerit. Nam quae causa cogitari potest, cur res modo ex Chao productae et per fulgentem ac splenditum Phanetem, qui est ipsa Metis, conditae et ordinatae, rursus ad Noctis tenebras relabantur? An quia Amori — nam is quoque Phanes est — conjux addenda videbatur neque alia dignior erat, quae cum eo consociaretur, quam Nox, assidua lucis pedisequa? At Hesiodi quoque Amor caelebs est neque inde patet, quare opus fuerit, ut Phanes prorsus imperio se abdicaret et per consequens tempus iners et paene oblivione obrutus in conjugis antro sederet, donec a Jove devoraretur. Nonne is regressus potius quam progressus habendus est? Contra omnia bono ordine procedunt, si sumis, vetus carmen a Nocte demum

[1] Cf. *Agl. p.* 400, 404 et Zoega, *l. c. p.* 214 *N.*

[2] Preller in *Rhein. Mus. N. F. IV*, 379 Pherecydem dicit Jovem primum omnium rerum principium, deinde Amorem, tertio Demiurgum descripsisse. Sed Pherecydes magis philosophus erat quam poeta (cf. *Arist. Met. XIV*, *p.* 1091 *b* 8 *sq.*). Nescio igitur, an ex hoc, quod Pherecydes triplici quasi impetu genealogias suas consummavit, colligere liceat, idem etiam Orpheum fecisse, quem Aristoteles eodem loco inter vestustissimos poetas recenseat. Preller ad tuendam suam sententiam nullum nisi Orphicae theogoniae exemplum exhibet (*l. c. p.* 387 *N.* 16). Sed id ipsum nunc quaeritur, num haec eiusmodi habuerit progressum interdum hiscentem et interruptum.

orsum esse. Si enim omnium princeps Nox est, strata via ab ea est usque ad Jovem, summum deorum hominumque regem, et ad eius liberos, nec est, cur mireris, illam in fragmentis tam saepe et honorifice commemorari. Nam cum mater sit omnium deorum,[1] sanequam digna est, quae prima regnum tenuerit eoque proli suae concesso summo ab omnibus diis honore affecta in antro suo sedeat, oracula edat, Saturnum educet, Jovi quae facienda sint suadeat. Interpolator vero, cum haec ita disposita invenisset, simul philosophemata sua immiscere cupidus et tamen veritus, ne totum veteris carminis ordinem funditus everteret, fortasse ita nodum expedivit, ut Chronum, Chaos Aetheremque, postremo Phanetem ex Ovo natum praenum figeret quidem, praefixis autem regnum Phaneti ademptum Nocti restitueret. Quo facto paene omnia, quae sequebantur, praeter Phanetis cataposin immutata relinquere ei licuit. Haud inscita ratio! Quamquam hoc incommode accidit, ut eo modo novitii Phanetis lux mox rursus exstingueretur veteris Noctis auctoritate atque principatu.

Accedit, quod, si Nox filia Phanetis est, tres existunt noctes, prima quae cum Chaote conjuncta vel ab eo non diversa est, altera de qua nunc loquimur, tertia naturalis quae nostrorum cuique dierum succedit. De quibus quamvis subtilissima ut solet arte Hermias disputet,[2] tamen me non poenitebit, primae iacturam fecisse mediaeque primum locum vindicasse, quae sorores aemulas etiam in fragmentis ita dignitate superet,[3] ut de ea potissimum in vetere libro sermonem fuisse etiamnunc quasi per transennas appareat.

Adde, quod fragmentorum fabricator facilius veniam impetrabit, Phanetis nascentis spectatricem Noctem filiam fingens,[4] si id fecit quasi auctoritate veteris carminis captus, quo Noctem antiquissimam deam esse etiamtum nonnunquam ei quamvis invito persuaderetur,

[1] — — θεῶν τροφὸς ἀμβροσίη Νύξ (*Agl. p.* 501).

[2] *In Phaedr. p.* 144 (*Agl. p.* 502).

[3] Ἡ αἰδοίη ab Orpheo vocatur (*Agl. p.* 502; cf. etiam *p.* 514).

[4] Πρωτόγονόν γε μὲν οὔτις ἐπέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν
εἰ μὴ Νὺξ ἱερὴ μούνη· οἱ δ' ἄλλοι ἅπαντες
θαύμαζον καθορῶντες ἐν αἰθέρι φέγγος ἄελπτον·
τοῖον ἀπέστραπτεν χροὸς ἀθανάτοιο Φάνητος (*Agl. p.* 481).

quam si sua sponte ac voluntate illum anachronismum carmini suo admiscuit.

Postremo quis non miretur, Phanetem mundi conditorem omniumque deorum parentem dici atque praedicari,[1] sed re accurate considerata nihil meriti ei relinqui nisi quod Noctem[2] procreaverit et ex ea demum Coelum Terramque genuerit? Nonne ex hac dissensione eorum, quae de Phanete in modum buccinatorum iactantur et quae ipse revera fecit, satis apparet, eum magis cuiuslibet recentioris poetae mediocri ingenio praediti foetus esse quam validam summae antiquitatis progeniem? Nonne igitur ita quoque summa ad Noctem, Coelum, Terram redit?

Quodsi omnia, quae modo attigi, animo comprehendo, in ipsis fragmentis aliquas fissuras et gibberes conspicere mihi videor, quibus partes primas usque ad Noctem pertinentes veteribus sero demum additas esse comprobetur, rimuscularum instar, quae in dealbatis parietibus interdum existentes ibi novas veteribus aedes prodant adjunctas esse.

§. 5.

Cum igitur cum ex veterrimorum scriptorum testimoniis tum ex ipsis fragmentis tralaticiis appareat, sinceram Orphei Theogoniam a Nocte demum initium cepisse, duo inde consequi videntur. Primum tota nostra sententia falsa reddetur, si quae afferri possint, quae vel ipsa Noctem in vetere libro antecesserint vel cum iis, quae a Proculo ante eam ponuntur, tam arcte cohaereant, ut etiam illa in carmine infuisse evincant.[3] Deinde vero

[1] *Agl. p.* 496 *sq.*

[2] Phanetem primum solam Noctem edidisse puto. Nam quae apud Athenagoram (*Supplicatio pro Christianis ed. Otto* [*Jenae* 1857] *c.* 20 *p.* 96) de ἄλλῃ γενεῇ Phanetis leguntur, valde dubito, an ea Theogoniae rhapsodicae tribuenda non sint. Equidem ea magis Hellanici Theogoniae adscripserim. Hanc enim solam Athenagoras ceteris locis, ubi de Orpheo loquitur, sequi videtur (cf. quae de his infra dicturus sum).

[3] Eiusmodi aliquid Phanetis desorptio est per Jovem facta. Quae si a vetere poeta narrata est, primam quoque fabulae partem, quae est de Phanetis ortu atque operibus, necessario secum trahet.

manifestum est, quaecunque argumenta ex locis inde a Nocte infra positis repetantur, vana esse et infirma ad omnium veteris et rhapsodicae Theogoniae partium convenientiam comprobandam, cum nemo dubitet, illos ab interpolatore paene intactos servatos esse. Utriusque autem generis testimonia Lobeckius promiscue apponit, quae nunc divisione accurate facta breviter perstringam.

Primum igitur ex iis, quae Noctem antecedunt, praeter ea, quae iam supra commemoravi, occurrit prooemium carminis a Joanne Malela Byzantino[1] asservatum. Gravem mehercle auctoritatem! Nec desunt aliae quoque causae, quibus adductus ipse Lobeckius id in suspicionem vocare videatur.[2] — Succedunt ea, quae de Chrono Orphei traduntur. At ne his quidem antiquior testis opitulatur quam Proculus. Etenim Aristotelis[3] verba εἰσί τινες οἵ φασιν οὐθὲν ἀγένητον εἶναι τῶν πραγμάτων, ἀλλὰ πάντα γίγνεσθαι, γενόμενα δὲ τὰ μὲν ἄφθαρτα διαμένειν τὰ δὲ πάλιν φθείρεσθαι, μάλιστα μὲν οἱ περὶ Ἡσίοδον, εἶτα καὶ τῶν ἄλλων οἱ πρῶτοι φυσιολογήσαντες de Orpheo dici, mera Simplicii conjectura est adnotantis[4] τῶν δὲ ἄλλων πρώτους φυσιολογῆσαι τοὺς περὶ Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον λέγειν εἰκός, οἵτινες πλὴν τοῦ πρώτου πάντα γενέσθαι λέγουσιν. Et ut de Orpheo dicta sint, quis praestat, illud ἀγένητον Chronum esse? Apud Hesiodum, qui nomine laudatur, Chaos est; cur igitur apud Orpheum Nox esse non potest, quam in Metaphysicis Aristotelem ab initio Theogoniae Orphicae ponere supra viderimus? — Porro Chaos et Aetherem, Chroni prolem, item non nisi Novi Platonici tuentur. Appuleji enim verba:[5] „Orpheus Linus et Hesiodus deos ex chao ab initio erupisse dixerunt“ nostrae potius quam Lobeckii sententiae adstipulantur, cum ex nostra tantum Nox, quae simillima Χάους est et a Proculo

[1] Nam verba Theophili (*ad Antolyc. III p.* 293: Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος καὶ Ὀρφεὺς ἔφασαν ἑαυτοὺς ἀπὸ θείας προνοίας μεμαθηκέναι) ad quodlibet prooemium quadrant, non ad id tantum, cujus Malela mentionem facit.

[2] *Agl. p.* 469.

[3] *De coelo III,* 1, *p.* 298 *b* 25 *sq.*

[4] Cf. *Scholia in Aristotelem coll. Brandis* (*Berolini* 1836) *p.* 510 *a* 21.

[5] *De Orthogr. p.* 137 *ed. Mai.* Sed ille Appulejus ipse videtur millennio post Proculum vixisse (Cf. Bernhardy, *Grundriss der Römischen Litteratur*, 4. *Bearbeitung* [*Braunschweig* 1865] *p.* 876. 882).

cum eo paene commutatur,[1] ab ipso initio posita videatur. — Jam sequitur Phanes. De quo cum iam antea dixerim et infra fusius dissertaturus sim, statim me ad eas partes convertam, quae Noctem subsequuntur.

In his igitur non rara vestigia inveniuntur cognationis similitudinisque inter libros a Platone et Proculo lectos. Etenim praeter illum Phorcum Titanem et Noctem ambobus singularem in modum communes etiam tota genealogia a Nocte usque ad Jovis liberos deducta paene omnibus numeris congruit. Mutata sunt in Rhapsodiis nonnulla, quae ad Oceanum et Tethyn pertinebant. Eorum enim in vetere libro peculiarem dynastiam fuisse, iam supra expositum est. Qua de causa postea exciderit, sane accurate dicere non possum. Sed quid ad rem? Etiam ii, qui cum Lobeckio Rhapsodias prorsus non discrepare cum vetere Theogonia statuunt, vix probabiliter explicare poterunt, quomodo id factum sit, nisi contra perspicua Platonis verba[2] Oceanum honore et principatu privare conaturi sint. — Deinde quae ad fabulam de Minervae ortu spectant, partim ab rhapsodicae Theogoniae auctore mutata partim integra et sincera duxerim. Metin enim, Minervae matrem, etiam in vetere carmine praetermissam esse[3] propterea mihi credibile non est, quod Orpheus Minervam non ex Oceano vel rivusculo quodam ortam,[4] sed ab ipso Jove patre procreatam similiter atque Hesiodus, Stesichorus aliique videtur finxisse.[5] Quod si ita est, profecto mire fecisset vetus vates, si fabulae secundam partem narravisset, primam autem, quae est de Metidis cataposi quaeque sequentibus quasi fundamento est et explicationi, sine ulla ratione reticuisset. Etenim quae causa fuit Rhapsodiarum auctori eius fabulae mutilandae — quia videlicet post primam Metidis h. e. Phanetis cataposin alteram addere vix potuit — eadem non erat ger-

[1] *Agl. p.* 474. — E contrario falsus Alexander Aphrod. non cunctatur verba Aristotelis οἱ θεολόγοι οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες (*Met. XII,* 6 *p.* 1071 *b* 27) de Hesiodo intelligere, qui Chaos principium reddat (*Schol. in Arist. p.* 803 *a* 35 cf. *p.* 772 *a N.*).

[2] *Tim. l. c.* —

[3] Ita Lobeckius *Agl. p.* 537.

[4] Cf. Preller, *Griechische Mythologie,* 2. *Aufl.* (*Berlin* 1861) *I,* 147 *sq.*

[5] Plura de hac re infra appositurus sum.

mano Orpheo, qui Phanetis ne minimam quidem notitiam haberet. Verum quod attinet ad Minervae non ortum, sed educationem recens liber propterea mihi antiquae descriptionis colores magis videtur conservavisse, quod iam veterem poetam Curetes cum Atheniensium Κόρῃ καὶ δεσποίνῃ[1] coniunxisse cum Proculo[2] ex Platonis Legibus colligere licet. — Porro non refragabor, si cui in iisdem Legibus[3] τὴν λεγομένην παλαιὰν Τιτανικὴν φύσιν ad Thracium vatem referre placuerit homines ex Titanum cinere procreatos canentem,[4] vel contendere, Politici (non Philebi, Agl. p. 511) locum p. 269—272 nonnullis exornatum esse, quae Plato ex Orphei descriptione regni Saturnii deprompserit. Quin imo cum tam saepe illum hujus Theogoniam respicere apparuerit, fortasse etiam Adrasteam in Phaedro[5] ab eo mutuam sumpsisse putandus, quae una cum Curetibus et Ida sorore Jovis custos a poeta reddatur.[6] Postremo, ut hoc iam nunc addam, Platonis verba[7] ὁ.. θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος· τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. ad quae Scholiastes:[8] θεὸν μὲν τὸν δημιουργὸν σαφῶς, παλαιὸν δὲ λόγον λέγει τὸν Ὀρφικόν, ὅς ἐστιν οὗτος·

Ζεὺς ἀρχή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται,
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,

non solum ideo memoratu digna sunt, quod Platonem aliquod Or-

---

1 *Plato, Legg. VII*, 796 *B*, cf. Schol.: Κόρῃ καὶ δέσποινα] ἡ Ἀθηνᾶ.

2 *Theol. V*, 3. 323 (*Agl. p.* 541).

3 *III p.* 701 *C.*

4 *Agl. p.* 565. — Quamquam malim Platonis locum ex iis intelligere, quae in Aeschyli Prometheo de hominibus ab hoc Titane novis diis infestissimo ad melioren vitae statum excultis traduntur.

5 *P.* 248 *C*, cf. *Rep. V*, 451 *A.*

6 *Agl. p.* 514.

7 *Legg. IV*, 715 *E sq.* Plato etiam aliis Legum locis (*VI*, 782 *C:* Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι, *VIII*, 829 *E:* τῶν Θαμύρου τε καὶ Ὀρφείων ὕμνων cf. *III*, 677 *D*) Orphei mentionem facit. Facile igitur etiam illum παλαιὸν λόγον ex eius scriptis sumere potuit.

8 J. Beckeri *comment. crit.* (*Berolini* 1823) *T. II*, 451. Ceterum Scholiastam ex Rhapsodiis hausisse, tum inde liquet, quod versus iisdem verbis atque Proculus citat (*Agl. p.* 521 *N. v*), tum ex iis, quae explicandi causa illis versibus subiungit. Valde enim Platonicorum pergulas redolent. — Ceterum plura de hoc celeberrimo nostri carminis loco infra afferam.

phicum carmen legisse testantur,[1] sed etiam quod ex variis germanae lectionis recensionibus a Proculo, Eusebio, Pseudoaristotele aliisque asservatis (cf. Agl. p. 521—533) optime intelligitur, quantas in laminas interpolator (an dicam interpolatores?) Theogoniae Orphicae unum vel duos versiculos arte sua tenuare calluerit.

§. 6.

Jam venio ad Phanetis cataposin. De qua etsi non potui quin iam supra nonnulla dicerem, tamen nunc ex professo disserendum erit. Quid enim prodest, quaedam levioris momenti abscidisse, si illa retinebitur? Aut quid novi nostra disputatio Lobeckii contentionibus addet „Theogoniam Platoni eiusque aequalibus lectitatam esse statuentis[2] sive totam, quantam Platonici triverint, sive primarias eius partes", dummodo his primariis partibus illam cataposin adscribamus? Ea enim veteri carmini restituta cum iam negare non possimus, saeculo a. Ch. n. sexto pantheisticam de mundi ortu et renovatione doctrinam in mysteriis[3] vulgatam fuisse, vix est, quod in ceteris minutis atque jejunis rebus dijudicandis tempus conteramus. Verum enim vero multum abest, ut iure Lobeckius affirmare possit[4]: „si de Orphicae doctrinae summa omnia detraxeris, quae Platonici de suo affinxerint, relinqui illam rerum omnium in deo comprehensionem, duplici processu et recessu perfectam per Phanetem et Jovem". Quid

---

1 Lobeckius ait *Agl. p.* 532: „Platonem ut arbitrer illum παλαιὸν λόγον non fando accepisse, sed ex ipsa ut dicitur scatebra, tum alia me inducunt Orphicae lectionis indicia, tum illud quod continuo subjungit τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται Δίκη τῶν ἀπολειπομένων — τιμωρός, quae Proculus Orphicis circumloquitur verbis

τῷ δὲ Δίκη πολύποινος ἐφέσπετο πᾶσιν ἀρωγός".

Giseke (*l. c. p.* 84) Tzetzae testimonium secutus, quod Lobeckius exhibet *Agl. p.* 422 *coll. p.* 527, illos versus a Platone ex Hymnis Orphicis sumptos esse putat. De Tzetzae auctoritate iam Lobeckius *l. c.* respondit. Cum autem ex Platonis locis supra laudatis (*Tim. p.* 41, *Crat. p.* 402) satis appareat, Platonem non solum Hymnis et Τελεταῖς Orphei usum esse, sed etiam Theogonia, simplicius esse puto, si illos versus ex vetere Theogonia in Rhapsodias receptos sumamus, quam si eos Hymnis adscribamus, quos Rhapsodiarum auctorem cognitos habuisse nullum praeterea indicium inveniri possit.

2 *Agl. p.* 611, cf. Brandis, *l. c. I*, 59.

3 Cf. Bernhardy, *Grundr. d. Gr. Litt. II*, 1, 428.

4 *Agl. p.* 495.

enim? Num propterea quod aliqua eius doctrinae vestigia ante Novorum Platonicorum aevum occurrunt, iam Onomacriti temporibus assignanda erit? Fortasse concederem, si eiusmodi vestigia apud Pericleae aetatis scriptores invenirentur. At mundi per Phanetem conditi primus, ut iam Zoega recte animadvertit[1], Diodorus mentionem facere videtur. Ac ne hoc quidem testimonium omni suspicione caret. Diodorus enim[2] de Aegyptiorum fabulis disserens eos Osirim et Isidem primos deos habuisse narrat. Osirim Solem esse. Nonnullos autem veterum poetarum Graecorum eum etiam Dionysum nuncupasse. Quod ut probet, primum Eumolpi deinde Orphei versum allegat his verbis:

Εὔμολπος ἐν τοῖς Βακχικοῖς ἔπεσί φησι

> Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν,

Ὀρφεὺς δὲ

> Τούνεκά μιν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.

Hoc igitur versu Orphico mihi non tam ille Rhapsodiarum mundi conditor, cui etiam nomina Metidis et Eracapaei sunt, quam Sol denotari videtur. Id quod affirmatur Macrobii verbis[3]: Orpheus Solem volens intelligi ait inter caetera

> τήκων αἰθέρα δῖον ἀκίνητον πρὶν ἐόντα
> ἐξανέφηνε θεοῖς ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
> ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον,
> Εὐβουλῆά τ' ἄνακτα καὶ Ἀνταύγην ἀρίδηλον,
> ἄλλοι δ' ἄλλο καλοῦσιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
> πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, Διώνυσος δ' ἐπεκλήθη,
> οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν Ὄλυμπον
> ἀλλαχθεὶς δ' ὄνομ' ἔσχε προσωνυμίας πρὸς ἕκαστον
> παντοδαπὰ κατὰ καιρὸν ἀμειβομένοιο χρόνοιο.

Deinde omnino incertum est, utrum hi versus ex Orphei Theogonia, an ex alio eius carmine deprompti sint. Certe ipse Lobeckius, cum in Aglaophamo Macrobii locum non minus quam p. 497 etiam p. 460, ubi de Orphei Palinodia vel Διαθήκαις sermo est, apponat, tacite consentire videtur, illos versus theocrasiae plenos magis in Palinodiam a Judaeis valde interpolatam et cum Theogonia aliisque Orphicis scriptis in unum corpus redactam[1] quadrare eique assignandos esse.[2] Itaque Diodori locum prorsus mittendum arbitror.

[1] *L. c. p.* 217.

[2] *Bibl. I,* 11.

[3] *Macrob. Sat. I,* 18 (*ed. Janus, Vol. II p.* 173), cf. *ib. p.* 168: Haec quae de Apolline diximus (sc. „Apollinis nomen multiplici interpretatione ad Solem referri" *I,* 17 *p.* 145) possunt etiam de Libero dicta existimari.

Neque aliam sententiam tulerim de Theonis Smyrnaei loco, quem Zoega (l. c. p. 220) secundum post Diodorum de Phanete Eracapaeo testimonium praebere putat. Theo enim, Trajani et Hadriani aequalis[3] in libro περὶ τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν ait (p. 164 ed. Bull.): Ἔνιοί φασιν ὀκτὼ τοὺς πάντων κρατοῦντας εἶναι θεούς, ὡς καὶ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ἔστιν εὑρεῖν

> Ναὶ μὴν ἀθανάτων γεννήτορας αἰὲν ἐόντας,
> πῦρ καὶ ὕδωρ, γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἠδὲ σελήνην
> ἠέλιόν τε Φάνητα μέγαν καὶ νύκτα μέλαιναν.

Illa Ὀρφικά, ex quibus Theo eos versus sumpsit, Ὅρκοι sunt. Phanetem autem ibi commemoratum Zoega non Solem esse putat sed Theogoniae rhapsodicae deum cognominem propterea, quod illum Φάνητα μέγαν ab ἡλίῳ diversum esse oporteat, quoniam ita demum octo, quos Theo vult, dii exsistant, et quod Phanes hîc quoque similiter atque in Rhapsodiis cum Nocte componatur. Sed Phanes non minus apte, si Sol est, cum Nocte conjungitur. Deinde cum manifestum sit, in hoc iureiurando non tam deos, sed naturae elementa invocari, mirum esset si Phanes omnium rerum conditor illis interpositus esset. Postremo quid curemus Theonem octo deos numerantem, cum grammatices regulae nos iubeant verba Φάνητα μέγαν sine ulla particula con-

[1] Cf. *Agl. p.* 417, 454, 483, 508, 714.

[2] Quamquam idem Lobeckius alium Orphei locum, quem Macrobius (*I,* 18, *p.* 177) prioribus fere subjungit, neque de Theogonia neque de Palinodia intelligit, sed de tertio quodam libro (*Agl. p.* 727). Quod cum simplicius videatur, si Macrobium locis sibi tam propinquis ex uno tantum fonte delibasse existimes, copia data est Phanetis ex Theogonia in illud adeo Καταζωστικὸν vel Ἱεροστολικά expellendi. Attamen praefero Palinodiam.

[3] Cf. Fabricius, *Bibl. Gr. IV,* 35. J. Bullialdus Theonis aetatem inter annum aerae Christianae XX. et CXL. ponit, Saxius ineunte saec. II. a. circ. CXVI., postremo J. de Gelder in editione sua Arithmeticae (Lugd. Bat. 1827) Theonem Hadriano imperante annis CXXIX., CXXX., CXXXI. et CXXXIII. observationes astronomicos instituisse et simul cum Plutarcho floruisse demonstrat. Cf. Rossbach und Westphal, *Metrik der Griechen,* (2. *Aufl., Leipzig* 1868), *I,* 76.

junctiva vocabulo ἡέλιον addita epitheti loco habere?[1] Nonne ita optimus sensus oritur, si post ignis et aquae, terrae et coeli syzygias opponuntur luna et sol, splendidus lucis largitor, tenebrosae nocti? Itaque illorum Ὅρκων auctoritas nihil valet ad Rhapsodiarum Phanetem ante Theonis tempora rejiciendum. Nec tamen prorsus inutile eius Platonici testimonium videtur. Ut enim illi Orphici versus re vera nihil de nostro Phanete prodant, tamen Theo Smyrnaeus eos aliquid prodere opinatus est. Noverat igitur Phanetem a Sole diversum. Quis autem is esse potuit nisi Metis vel Ericapaeus? At unde Theo eius notitiam accepit? Nimirum ex eodem fonte, ex quo Athenagoras, Theoni fere coaetaneus, illam sumpsit. Etenim ex multis locis Supplicationis a Christiano apologeta imperatoribus M. Aurelio et L. Commodo a. CLXXVII[2] missae apparet, tum temporis quandam Orphicam Theogoniam pervulgatam fuisse, in qua praeter alia mirifica numina etiam Phanes ex Ovo natus in scenam prodierit. Magnam autem nacta erat auctoritatem. Id quod inde collegerim, quod Athenagoras ex ipsis de diis fabulis earum vanitatem demonstraturus non nisi notis et ab omnibus Graecis Romanisque probatis fontibus uti potuit. Itaque persuasum ei fuerit necesse est, imperatores, quorum eruditionem laudibus extollit, praeter Homerum et Hesiodum etiam Orpheum non responsuros esse, a quo Homerus tam multa accepisset[3]. Quaerendum igitur est, utrum ea Orphei Theogonia vetus illa fuerit, quam iam Plato et Aristoteles triverunt, an alia recentioris originis. Ac primum quidem facilior mihi videtur conjectura esse, si Athenagoram unam tantum Orphicam theogoniam novisse statuamus. Nullo enim loco se diversas sequi indicat, sed sicut unum tantum Homerum et Hesiodum, ita etiam unum tantum

[1] Cf. *Agl. p.* 743 et Zeller *l. c., I,* 73 *N.* 1.

[2] Cf. Gieseler, *Lehrbuch der Kirchengeschichte* (4. *Aufl., Bonn* 1844), *I,* I, 206 et Otto, *Proleg. ad Athenagorae opera* (*Jenae* 1857) *p. LXXIV.*

[3] Cf. *c.* 17 *p.* 74: φημὶ οὖν Ὀρφέα καὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον εἶναι κτλ., *c.* 18 *p.* 84: ᾧ (sc. Orpheo) καὶ Ὅμηρος τὰ πολλὰ καὶ περὶ θεῶν μάλιστα ἕπεται. Apud Romanos iis temporibus Orpheum magnam nactum esse celebritatem, etiam eius imago in Larario Alexandri Severi collocata (*Lamprid., Alex. Sev.* 29) comprobat et picturae Christianorum in catacombis repertae, ubi haud raro Orpheus fidicen occurrit.

Orpheum laudat et respicit.[1] Qua de causa miror Lobeckium, qui libidine modo Rhapsodiis modo Hellanici Orphicae theogoniae singulos Athenagorae locos tribuat.[2] Equidem non nisi alteram, quam Damascius τὴν κατὰ Ἑλλάνικον καὶ Ἱερώνυμον vocat, ei notam fuisse censeo. Id quod nunc probare conabor.

Damascius Hellanici et Hieronymi Theogoniam ita describit:[3] Τοιαύτη μὲν ἡ συνήθης Ὀρφικὴ θεογονία. Ἡ δὲ κατὰ τὸν Ἱερώνυμον φερομένη καὶ Ἑλλάνικον, εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός ἐστιν,[4] οὕτως ἔχει. Ὕδωρ ἦν, φησίν, ἐξ ἀρχῆς καὶ ὕλη (ἰλύς), ἐξ ἧς ἐπάγη ἡ γῆ, δύο ταύτας ἀρχὰς ὑποτιθέμενος πρῶτον, ὕδωρ καὶ γῆν· τὴν δὲ μίαν πρὸ τῶν δυοῖν ἄρρητον ἀφίησι· τὴν δὲ τρίτην ἀρχὴν μετὰ τὰς δύο γεννηθῆναι μὲν ἐκ τούτων, ὕδατος φημὶ καὶ γῆς, δράκοντα δὲ εἶναι κεφαλὰς ἔχοντα προσπεφυκυίας ταύρου καὶ λέοντος, ἐν μέσῳ δὲ θεοῦ πρόσωπον, ἔχειν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων πτερά, ὠνομάσθαι δὲ χρόνον ἀγήραον καὶ Ἡρακλῆα τὸν αὐτόν· συνεῖναι δὲ αὐτῷ τὴν Ἀνάγκην, φύσιν οὖσαν τὴν αὐτὴν καὶ Ἀδράστειαν ἀσώματον διωργυιωμένην ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, τῶν περάτων αὐτοῦ ἐφαπτομένην. Ταύτην οἶμαι λέγεσθαι τὴν τρίτην ἀρχήν, πλὴν ὅτι ἀρσενόθηλυν αὐτὴν ὑπεστήσατο. His iure Lobeckium cuivis consentaneum est conjungere Athenagorae verba:[5] Οὐκ ἐξ ἀρχῆς, ὥς φασιν, ἦσαν οἱ θεοί, ἀλλ' οὕτως γέγονεν αὐτῶν ἕκαστος ὡς γινόμεθα ἡμεῖς. Καὶ τοῦτο πᾶσιν αὐτοῖς ξυμφωνεῖ· Ὁμήρου μὲν γὰρ λέγοντος·

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν,

Ὀρφέως δὲ … καὶ αὐτοῦ τὴν πρώτην γένεσιν αὐτῶν ἐξ ὕδατος συνιστάντος·

Ὠκεανός, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.[6]

Ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη, ἐκ δὲ ἑκατέρων ἐγεννήθη ζῶον δράκων προσπεφυκυῖαν ἔχων κεφαλὴν λέοντος [καὶ ἄλλην ταύρου][7], διὰ μέσου δὲ αὐτῶν θεοῦ πρόσωπον, ὄνομα Ἡρακλῆς καὶ Χρόνος. Οὗτος ὁ Ἡρακλῆς ἐγέννησεν ὑπερμέγεθες ᾠόν, ὃ συμπληρούμενον ὑπὸ βίας τοῦ γεγεννηκότος

[1] Cf. *c.* 17 *p.* 74; 18 *p.* 48; 20 *p.* 96; 32 *p.* 166.

[2] Cf. *Agl. p.* 487, 493, 504, 548.

[3] *L. c. p.* 381.

[4] Cf. quae in Epimetro de sensu horum verborum dicturus sum.

[5] *C.* 18 *p.* 84; cf. *Agl. p.* 487.

[6] *Il.* 14, 246. Cum iam veterem Orpheum Homerum spoliasse supra viderimus, non est quod miremur, mostellariam, quae saec. II p. Ch. n. Orphei nomine induto Platonicorum sectam ludificetur, non magis abstinentem fuisse.

[7] Haec verba Zoega (*l. c. p.* 239) ex Damascio addit applaudente Lobeckio (*l. c. N. v.*).

ἐκ παρατριβῆς εἰς δύο ἐῤῥάγη· τὸ μὲν οὖν κατὰ κορυφὴν αὐτοῦ οὐρανὸς εἶναι ἐτελέσθη, τὸ δὲ κατενεχθὲν γῆ.[1] Προῆλθε δὲ καὶ θεὸς Γῆ διὰ σώματος· Οὐρανὸς δὲ Γῇ μιχθεὶς γεννᾷ θηλείας μὲν Κλωθώ, Λάχεσιν, Ἄτροπον, ἄνδρας δὲ ἑκατόγχειρας Κόττον, Γύγην, Βριάρεων, καὶ Κύκλωπας Βρόντην καὶ Στερόπην καὶ Ἄργον· οὓς καὶ δήσας κατεταρτάρωσεν, ἐκπεσεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν παίδων τῆς ἀρχῆς μαθών. Διὸ καὶ ὀργισθεῖσα ἡ Γῆ τοὺς Τιτᾶνας ἐγέννησε·

Κούρους δ' οὐρανίωνας ἐγείνατο πότνια Γαῖα,[2]
οὓς δὴ καὶ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέουσιν,
οὕνεκα τισάσθην μέγαν Οὐρανὸν ἀστερόεντα.

Deinde Athenagoram etiam c. 20 p. 92 sq.[3] Hieronymi Theogoniam in mente habuisse, iam prima verba argumento sunt: Ἐπεὶ δὲ τοῦτο μὲν διατεθείκασιν αὐτῶν τὰ σώματα· τὸν μὲν Ἡρακλέα ὅτι θεὸς δράκων ἑλικτός, τοὺς δὲ ἑκατόγχειρας εἰπόντες κτλ. Quod si ita est, etiam cetera verba in eodem capite apposita ex eodem fonte iure derivanda esse existimo. Sunt autem haec:[4] Καὶ τίς ἂν ἄνθρωπος πεπαιδευμένος καὶ ἐν θεωρίᾳ γεγονὼς ὑπὸ θεοῦ γεννηθῆναι πιστεύσαι ἔχιδναν (Ὀρφεύς .

Ἂν δὲ Φάνης[5] ἄλλην γενεὴν τεκνώσατο δεινὴν
νηδύος ἐξ ἱερῆς, προσιδεῖν φοβερωπὸν ἔχιδναν,
ἧς χαῖται μὲν ἀπὸ κρατὸς καλόν τε πρόσωπον
ἦν ἐσιδεῖν, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη φοβεροῖο δράκοντος
αὐχένος ἐξ ἄκρου)

ἢ αὐτὸν τὸν Φάνητα δέξαιτο, θεὸν ὄντα πρωτόγονον (οὗτος γάρ ἐστιν ὁ[6] ἐκ τοῦ ᾠοῦ

[1] Huc usque Lobeckius citat p. 487. Quae subinde sequuntur verba, p. 504 non eidem Hellanici Theogoniae sed Rhapsodiis adscribere videtur! Nonne id nimis violenter a viro doctissimo actum? — Ceterum verba προῆλθε δὲ καὶ θεὸς Γῆ διὰ σώματος sic intelligo, ut verba premam καὶ θεός. Non solum terra naturalis (γῆ) sed etiam dea Terra οὐκ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν, sed sicut nos ex corpore quodam ortae sunt.

[2] De his versibus cf. quae Otto adnotat.

[3] Agl. p. 548. Athenagoram c. 32 p. 166 ad ea spectare, quae hoc capite de Jovis incestu narraverit, abunde patet. Quapropter infra de hoc loco nihil addam.

[4] C. 20 p. 96; cf. Agl. p. 493.

[5] Ἂν mendosum est. Cur Mullachius (l. c. p. 171, fragm. VIII, 7) legere maluerit σὺν δὲ Φάνης, nescio. Equidem doctis aestimatoribus proposuerim Σὺν δὲ Φάνητ' ἄλλην κτλ., ita ut sensus sit, Herculem sive Chronum una cum Phanete alterum partum edidisse. Causam lectionis ita mutandae infra afferam. (De elisione in dat. sing. III. decl. iam Homero usitata cf. Krüger, Homerische Formlehre 12, 1, 4).

[6] Scilicet ille deus, Athenagoras inquit, quem supra, cum de Ovo Herculis agerem, omisi, quia tum id tantum mihi erat demonstrandum, omnes deos ex materia ortos haberi. Quod cum de Hercule primo omnium deo probavissem, sponte apparere

προχυθείς)· ἢ σῶμα ἢ σχῆμα ἔχειν δράκοντος, ἢ καταποθῆναι ὑπὸ τοῦ Διός, ὅπως ὁ Ζεὺς ἀχώρητος [ἀχώρητος?][1] γένοιτο; Haec primo obtutu „ex Rhapsodiis ducta" videri (Agl. l. c.), negare non possum. Unde enim Athenagoras Phanetem ex Ovo natum, unde ejus cataposin sumpserit nisi ex illis? Propterea nisi viderem, in hac causa iam tam multas opiniones prolatas esse, quibus pro ratione stetisset voluntas, equidem novae conjecturae parcerem. Nunc vero mea quoque una cum ceteris prodeat, id certe ut sibi fides sit habitura, quod Athenagoram ceteris quoque locis de sola Hieronymi Theogonia loqui modo vidimus. Quid enim, si in hoc quoque carmine Phanetis cataposis tradebatur, si ex eo demum in veteres Orphicas genealogias sive in Rhapsodias transmigravit? At quomodo Phanes modo ex Ovo natus esse modo id ipse genuisse dici potest? Sic enim res se habet, si Lobeckio credendum est, illum Herculem portentosum Solem h. e. Phanetem habendum esse, satis aperte significanti.[2] Nam ea ratione Hercules, qui Ovum gignit, idem redditur cum Phanete, qui ex Ovo nascitur. Sed quis ex Athenagorae verbis ὄνομα Ἡρακλῆς καὶ Χρόνος collegerit, Herculis nomine[3] Solem denotari? Tempus est illud ἀγήραον quod etiam Damascius commemorat verbis ὀνομάζεσθαι χρόνον ἀγήραον καὶ Ἡρακλῆα τὸν αὐτόν. Is autem Chronus cur segregandus sit ab eo, qui ab exordio Rhapsodiarum positus est, equidem non perspicio nec perspexit Damascius ita pergens: Καὶ ὑπολαμβάνω τὴν ἐν ταῖς Ῥαψῳδίαις θεολογίαν ἀφεῖσαν[4] τὰς δύο πρώτας ἀρχὰς μετὰ τῆς μιᾶς πρὸ τῶν δυοῖν τῆς τῇ σιγῇ[5] παραδοθείσης ἀπὸ τῆς τρίτης μετὰ τὰς δύο ταύτης ἐνστήσασθαι τὴν ἀρχὴν ὡς πρώτης ῥητόν τι ἐχούσης καὶ σύμμετρον πρὸς ἀνθρώπων ἀκοάς. Οὗτος γὰρ ἦν ὁ πολυτίμητος ἐν ἐκείνῃ[6] χρόνος ἀγήραος καὶ αἰθέρος καὶ χάους πατήρ· ἀμέλει καὶ κατὰ ταύτην ὁ

putari, idem de Phanete eius filio valere. Itaque Athenagoras non obscuris verbis declarat, se hoc loco eundem fontem sequi, quem iam supra secutus sit.

[1] Ita Lobeckius scribi vult (Agl. l. c.).

[2] Agl. p. 485.

[3] Vel (ut accuratius dicam) eum Solem denotari, qui propter candidum lucis fulgorem Φάνης appellari possit, non eum, qui instar Herculis duodecim signa zodiaci permeantis modulum temporis praebeat. Hunc ego Herculem et Chronum dici non nego.

[4] Scil. ὕδωρ et γῆν (vel ἰλύν), quae Hieronymus ante Chronum posuerat.

[5] Ex Lobeckii conj. pro τῆς σιγῆς παραδοθείσης (Agl. p. 485 N. t).

[6] Lobeckius (Agl. p. 486 N. tt): „scil. τῇ ἐν ταῖς Ῥαψῳδίαις θεολογίᾳ".

χρόνος οὗτος ὁ δράκων γεννᾷ τὴν τριπλῆν γονὴν αἰθέρα φησὶ νοερὸν καὶ χάος ἄπειρον καὶ ἔρεβος ὁμιχλῶδες. Sin Hercules non est Phanes, etiam alterum quod Lobeckius affert,[1] „inter utrumque Cosmographum etiam hoc differre, quod Hieronymus deo suo (h. e. Chrono) formam serpentis et tria diversi generis capita affingat, ille autem capiti serpentino sive potius serpentifero ilia taurinis capitibus cincta subjungat," prorsus in cassum recidit, cum de diversis apud utrumque diis sermo sit. Itaque nihil mihi videtur obstare, quominus Phaneti, deo ᾠογενεῖ, in Hieronymi Theogonia iustam et legitimam sedem concedamus Athenagoramque cum cetera tum ea, quae de hoc deo prodat, ex ea sola accepisse affirmemus. Quod si ita est, facile fieri potuit, ut etiam Tatianus[2] apologeta, qui paulo ante Athenagoram orationem suam adversus Graecos edidit, ex eadem scatebra narrationem de Jovis incestu hauriret. Quamquam verba Ὀρφεὺς θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι non ad Theogoniam, sed ad Palinodiam Orphicam referendae videntur.[3] Sed fortasse Hieronymus, cum theogoniam sub Orphei nomine scribere animum induceret, initium canendi optimum sibi fore putavit, si isto celeberrimo vatis antiqui versu[4] usus lectores ad carmen audiendum invitaret. Cui quidem opinioni id favet, quod etiam Plutarchus, Theonis familiaris et ipse Platonicus, in Convivio suo uno spiritu illud Sacri sermonis Orphici exordium et Orphei de Ovo mundano doctrinam commemorat verbis: Ἀείσω συνετοῖσι τὸν Ὀρφικὸν καὶ ἱερὸν λόγον, ὃς οὐκ ὄρνιθος μόνον τὸ ᾠὸν ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ ἅπασαν αὐτῷ τῶν ἁπάντων πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι.

Quod igitur ad eas Rhapsodiarum partes attinet, ubi Phanes

[1] *Agl. p.* 485.

[2] Λόγος πρ. Ἕλλ. *c.* 6 *p.* 251 Ζεὺς θυγατρὶ συγγίνεται καὶ ἡ θυγάτηρ ἀπ' αὐτοῦ κύει· μαρτυρήσει μοι Ἐλευσὶς καὶ δράκων ὁ μυστικὸς καὶ Ὀρφεὺς θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι λέγων, cf. *Athenag. l. c.* c. 20 et 32.

[3] Cf. *Agl. p.* 489, 450 *sq.*

[4] Veteris Ἱεροῦ λόγου exordium hunc versum fuisse iam a Platone (*Symp. p.* 218 *B*) notum, probat Lobeckius, *Agl. p.* 450 *sq.* — Gisekius et Gerhardus ipsum Ἱερὸν λόγον Theogoniam fuisse putant. Quod si ita esset, facile prooemium veteris Theogoniae ab recentioris Theogoniae auctore repeti potuisset. Sed vereor, ut recte ita dixerint (cf., quae infra §. 8 hac de re apponam).

[5] *Symp. l. II,* 3. 2.

mundi conditor primum in lectorum conspectum producitur, tantum abest, ut veterum scriptorum testimoniis summae vetustatis laudem iis vindicare cogamur, ut Plutarcho, Theone, Tatiano, Athenagora auctoribus eius dei origines in carmen subditicium, quod ineunte saeculo p. Ch. n. secundo praesertim inter Platonicos harum rerum cupidissimos inclaruerit, relegandae et a vetere Theogonia Orphica prorsus segregandae videantur. Attamen caute sententiam feramus oportet, cum Phanetis partes nondum actae sint. Redit enim post Coeli et Saturni regna, ut a Jove desorbeatur. Cujus καταπόσεως iam in vetere Orphei libro, quem Plato tenuerit, mentionem factam esse, praeclari a Lobeckio testes adhibentur. De his igitur nunc quaerendum est. Ac primum quidem iam supra adscripsi Platonis locum Legg. IV, 715, E, quo illum Atheniensem hospitem aliquos Orphei versus in Rhapsodiis scriptos tangere Scholiastes nec non Proculus[1] suspicatur. Neque in Platone subsistere licet, cum Lobeckius non minus Archytam et Aristoxenum Pythagoreos, Demosthenem, Stoicos aliosque illius versus memoriam recoluisse comprobet, quo Jovem omnium rerum caput esse ex eoque omnia pendere praedicetur. Sed omnes non nisi unum versum

Ζεὺς ἀρχὴ Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται

se novisse produnt. Quid autem isti versiculo cum Phanete? Nihil sane, si eum solum veteri Theogoniae largiaris. Sed fortasse cum aliis magis suspectis conjunctus erat. Etenim in falsi Aristotelis libro de Mundo haec leguntur:[2] Διὸ καὶ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς οὐ κακῶς λέγεται

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος.
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα· Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.
Ζεὺς πνοιὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή.
Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος ἠδὲ σελήνη.
Ζεὺς βασιλεύς, Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀργικέραυνος.

[1] *Theol. VI,* 8, 363 (*Agl. p.* 530).

[2] *Arist. de Mundo c.* 7 *p.* 401 *a* 27 *sq.*

πάντας γὰρ κρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς[1]
ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

Quae si quis obiter perlustraverit, procul dubio ultimos versus de Phanetis cataposi dictos esse censebit et fortasse etiam versu quarto, ubi Jupiter masculus femineusque factus esse feratur, illam significari suspicabitur. Et recte quidem, si ex Rhapsodiis iudicandum est, ubi illis versibus Jovem conditorem mundi post Phanetem desorptum restituti praedicatum esse cum Proculi loci a Lobeckio Agl. p. 519 sq. collecti, tum Prophyrii[2] et Stobaei multo ampliores eorundem versuum recensiones docent. Sed quid porro? Num ita concludendum? In Rhapsodiis multi, in libro de Mundo nonnulli versus inveniuntur, quibus de Phanetis cataposi agitur. Atqui unius ex illis versibus a Platone mentio fit. Ergo Plato aliique, quorum nomina supra commemorata sunt, Theogoniam Orphicam noverant, in qua de Phanete sermo esset. At vereor, ne hic syllogismus plus una parte vacillet. Primum si hoc ipsum concedatur, tantam versuum molem, quanta exstet in Rhapsodiis, unius versiculi testimonio tanquam ex filo admodum tenui suspensam levari integramque ad summum antiquitatis fastigium tolli posse, tamen inde non liquet, eos versus Platonis aetate in Theogonia, nec in aliis Orphicis scriptis veluti in Hymnis vel Onomacriti Τελεταῖς infuisse. An quis credat, Rhapsodiarum auctorem nescio qua religione obstrictum nonnisi ex vetere Theogonia sui carminis lenocinia conquisivisse? Nec desunt, qui illam doxologiam alicui hymno in Jovem quam Theogoniae vindicare maluerint.[3] Giseke Tzetzae auctoritate permotus versum primum et secundum Lycomedarum hymnis Orphicis[4] inserere conatur et ipse

[1] Ii versus ab Eusebio ita traduntur:

πάντα δ' ἀποκρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πολυθέσκελα ῥέζων

a Proculo et Stobaeo:

πάντα τάδε κρύψας αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς
μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πάλι θέσκελα ῥέζων.

Appuleji et Clementis Al. relationes cum Aristotelis textu concinunt.

[2] Apud *Eusebium, Praep. Evang. III*, 9 (*ed. Heinichen, T. I*, 110); *Stobaei Ecl. Phys. ed. Gaisf. I*, 2 *p.* 16.

[3] *L. c. p.* 84. Quocum consentire videtur Gerhard, *Ueber Orpheus, p.* 73 *N.* 148.

[4] *Pausan. IX*, 30, 5; cf. *Menander, De Encom. II*, 30.

Lobeckius:[1] „non erit quisquam, inquit, quin illam splendidam orationem, qua dei imago mundo impressa praedicatur, hymnodiae quam cosmogoniae similiorem putet.“ Cum vero idem vir doctissimus ex lectione μέλλεν[2] ἀπὸ κραδίης προφέρειν κτλ. tempore imperfecto magis ad narrationem continuam quam ad dei invocationem idonea collegerit, nihilo minus illos versus carmini theogonico tribuendos esse, nec deinde videam, quo iure istae laudes Jovis prolixae atque grandiloquae in Lycomedarum hymnos Homericis multo breviores et viliores[3] relegandae sint; Tzetzae autem testimonium propterea non premendum videatur, quod ipsum quidem illos versus ex Theogonia (scil. rhapsodica) non ex sinceris Orphei hymnis tum temporis iam dudum eorum, quos nunc habemus, auctoritate ex hominum memoria depulsis sumpsisse satis manifestum est, — has igitur ob causas non abnuerim, inter tot versus a Pseudoaristotele, Appulejo,[4] Clemente Alexandrino, Porphyrio, Stobaeo asservatos nonnullos latere, qui iam a vetere Orpheo procusi sint. Quorum in numero fortasse etiam illud distichon:

[1] *Agl. p.* 527 *coll. p.* 522.

[2] Hanc genuinam veteris carminis lectionem fuisse, Lobeckius *(l. c.)* bene explicat.

[3] *Paus. l. c.:* Τοὺς Ὀρφέως ὕμνους οἶδεν ὄντας ἕκαστόν τε αὐτῶν ἐπὶ βραχύτατον (*Agl. p.* 390 *N. a:* „τοὺς Ὀρφέως ὕμνους οἶδε, ἕκαστόν τε κτλ. omnes singulos“) καὶ τὸ σύμπαν οὐκ ἐς ἀριθμὸν πολὺν πεποιημένους . . . . κόσμῳ μὲν δὴ τῶν ἐπῶν δευτεραῖα ἂν φέροιντο μετὰ Ὁμήρου γε τοὺς ὕμνους κτλ.

[4] Appulejus (*De Mundo c.* 37 [*ed. Hildebrand II*, 429]) sine dubio Graecum tantum textum apposuit. Quae igitur ante Vulcanii editionem legebatur Latina interpretatio (quam etiam Lobeckius *Agl. p.* 523 dat) et quae in sequentibus editionibus addita erat (Hildebrand, *l. c. p.* 430), non ad ipsum Appulejum referendae sunt. Sed ante hunc scriptorem iam Valerium Soranum nonnullos ex illis Orphei versibus in Latinum vertisse, testis est Varro apud Augustinum (*De Civ. D. VII*, 9): ‚In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit; qui versus hi sunt:

Juppiter omnipotens regum rerumque deûmque
Progenitor, genitrixque deûm, deus unus, et omnis.‘

Qui versus cum non tam cum iis, qui in Aristotelis et Appuleji libris de Mundo scripti sunt, conveniant, quam cum Eusebii, Proculi, Stobaei versibus:

Ζεὺς βασιλεύς, Ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.
Ἓν κράτος, εἷς δαίμων γένετο, μέγας ἀρχὸς ἁπάντων,

suspicandum est, Valerium non ex Graeco libro de Mundo, sed ex ipso Orphei h. e. Hellanici carmine illos versus sumpsisse.

πάντα δ' ἀποκρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πάλι θέσκελα ῥέζων

habendum est. Praebent enim quandam antiquitatis speciem (cf. Hes. Theog. v. 157; 460, 487, 495; 886–900, 924). Sed qui sensus eorum atque forma in vetere carmine fuerit, dici non potest. Auctor libri de Mundo, qui primus eos commemorat, vel ipse eos mutavisse vel mutatos accepisse videtur. Ut enim praecedenti enunciato Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀργικέραυνος argumento essent, mutatione opus erat πάντας γὰρ κρύψας et ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο, quoniam tempus imperfectum μέλλεν contextui non aptum erat. Quae tamen sincerae lectionis corruptiones non solae habendae sunt, cum iam ante falsum Aristotelem limpidos Orphicae theologiae fontes a quodam falsario turbatos esse non veri dissimile sit. Quid enim, si scriptor libelli de Mundo Hieronymi potius quam veri Orphei Genealogias secutus est? Hieronymum multum fuisse in Phanetis ortu atque cataposi decantandis, supra ex Athenagorae aliorumque scriptis demonstratum est; Pisistrati vero aequalibus hunc deum notum fuisse, nemo veterrimorum scriptorum memoriae tradidit. Quodsi temporum rationes non impediant, quominus illum Aristotelis simulatorem Hieronymi carmen legisse statuamus, minus negotii erit, si eam ab hoc non a vetere Orpheo illos versus accepisse nobis persuadeamus. Cum autem nuper Zellerus[1] contra Rosium librum de Mundo fere medio saeculo a Ch. tertio conscriptum esse dicentem egregie comprobaverit, ejus auctorem non multo ante vel post Christum natum vixisse, nescio, cur illa 'Ορφικά, quae citat, non potuerint esse Hieronymi Theogonia, quam non ita multo post Plutarchum respicere supra viderimus[2]. Quod si ita est, vix continget, sinceram illorum versuum lectionem restituere. Hieronymus enim in Phanetem transtulisse videtur, quae proprie de Zagrei vel de Metidis, Minervae matris, cataposi dicta erant. „Zagrei enim cor maceratum hausisse Jovem eoque intus concepto proseminasse quasi alterum Zagreum, Dionysum iuniorem", sagaciter suspicatur Lobeckius Agl. p. 560. Sin omnia Zagrei et Bacchanalium rituum vestigia, id quod

[1] *L. c. III*, I, 568 *sq.*

[2] Fortasse ante Plutarchum etiam Valerium Soranum eam legisse, modo dictum est.

nuper nonnullis viris doctissimis placuit,[1] prorsus delenda sunt ex vatis „Apollinei" Theogonia, restat Metidis cataposis ab Hesiodo Theog. v. 886–900 narrata, cui aptissimi videantur duo versus supra appositi. Ac mihi quidem conjectura arridet, qua Orphei narratio ex Hesiodo,[2] quocum illum saepius consentire supra monitum est, fere hunc in modum repraesentanda sit. Jupiter gravidam facit Metin. Sed a Terra et Coelo vel a Nocte[3] commonefactus eam desorbet, ne post Minervam puerum enitatur, qui patrem regno expellere fato destinatus sit. Et Minervam quidem ipse rursus in lucem edit, puerum vero in ventre occultatum retinet. Quae cum poeta narraret, aptissime eo loco, quo de hoc puero regio sermocinatus erat, hymnum in Jovem tam funesto periculo feliciter defunctum et in omne dehinc tempus secure regnaturum inserere, Minervae autem procreationem verbis describere potuit:

τὴν δ' ἄρ' ἀποκρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πάλι θέσκελα ῥέζων

vel: μέλλεν πὰρ κορυφῆς προφέρειν κτλ., si Proculo credendum est, etiam Orpheum Minervam armatam ex Jovis capite prosilientem finxisse referenti.[4] Quamquam necessaria mihi ea emendatio non videtur. Homerus enim Minervam ex capite patris ortam esse, nusquam narrat; Hesiodus[5] ait: αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν (scil. ἔτικτεν), sed nescio, num haec cum eorum tenore, quae v. 886 sq. leguntur, prorsus congruant. Ubi cum Jupiter Metin in ventre suo[6] imposuisse dicatur, fortasse etiam mulierum ritu filiam enixus esse putandus est, quemadmodum Dionysum Thebanum in femur inclusum ex femore progenuit.

[1] Cf. Gerhard, *Ueber Orpheus, p.* 48 *N.* 25.

[2] Cf. *Apollod. Bibl. I*, 3, 6 et *Aesch. Prom. v.* 755 *sq.*

[3] Ea enim apud Orpheum dea est fatidica

[4] *Agl. p.* 540.

[5] *Theog. v.* 924 *sq.*

[6] Ἑὴν ἐγκάτθετο νηδύν. Masculofemineum hunc deum esse Orpheus quoque verbis significat:

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

Cum enim Jupiter omnes in se rerum contrarietates comprehendat, sexuum quoque differentiae ab ejus natura secludendae videntur. Cf. Hildebrandii notam ad *Appul. De Mundo c.* 37 (*T. II*, 429).

Deinde in hymno Homerico in Apoll. Pyth. v. 130 (coll. h. in Minervam XXVIII, 5) Minerva gignitur ἐν κορυφῇ (sic codices, Barnesius ἐκ κορυφῆς) incertum, utrum infans an iam adulta. Jovem autem parturientem a Vulcano securi ictum esse, Pindarus[1] demum refert; et armatam deam ex Jovis capite prosiluisse primus Stesichorus teste Apollonii Scholiasta[2] narravit. Quibus variis ejusdem rei relationibus si denique addas, Minervam in multis Graeciae locis ex aqua vel ex Tritone fluvio ortam habitam esse, vix mirandum erit, si Orpheus quoque peculiarem et quidem simplicitate insignem de ejus deae procreatione fabellam secutus scripserit μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν.

Haec igitur sunt, quae de Phanetis cataposi traduntur. Quae si animo rursus perlustro, in arenis domum exstruere mihi videtur, qui illis novem Pseudoaristotelici libri versibus fretus, quos neque omnes veteris originis esse nec, si hoc datur, in Theogonia magis quam in Hymnis infuisse nec denique immutatos et formae et sensus ratione habita ad nostra tempora pervenisse satis certum sit, aliquam Orphicorum religionem mysticam excogitare multaque de Phanetis vel Amoris vel Metidis vel Primogeniti vel Eracapaei fatis factisque philosophari animum inducat.

Consulto autem tota hac disputationis parte cavi, ne ex silentio Platonis,[3] Eudemi, Apollonii Rhodii, Nigidii Figuli,[4] quod agunt de

[1] *Olymp. VII,* 65 *sq.*

[2] *Scholia vetera in Apollonii Argonautica e cod. Laurentiano ed. H. Keil* (*Lipsiae* 1854), *IV,* 1310 *p.* 521: πρῶτος Στησίχορος ἔφη σὺν ὅπλοις ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναπηδῆσαι τὴν Ἀθηνᾶν, ubi verba σὺν ὅπλοις premenda videntur. Lobeckius *Agl. p.* 540 dicit, fieri potuisse, ut Apollonii enarrator non legerit Theogoniam, quam doctissimis veterum Grammaticorum ignotam fuisse exemplo Homeri commentatorum doceri possit. At si Homeri commentatoribus Orpheum non legere licuit, non idem licuit Scholiastae Apollonii, qui tam multus in Orpheo celebrando esset. Deinde ipse vir doctissimus *Agl. p.* 544 aliam Scholiastae notam ad Orphicam Theogoniam referre videtur. Nihilominus autem Hemsterhusii sententia ex hoc loco colligentis, Stesichoro recentiorem fuisse Orpheum propterea, quod cecinerit ὅπλοις λαμπομένην κτλ., reprobanda videtur, quoniam facile fieri potuit, ut in vetere quidem Theogonia fabula de Minervae ortu diverso a Stesichoro modo narraretur, in Rhapsodiis autem, quas solas Scholiastae temporibus vulgatas fuisse verisimile est, communi omnium recentiorum poetarum traditioni similis reddita esset.

[3] Zeller, *l. c. I,* 72.

[4] Zoega, *l. c. p.* 215.

Phanete, plura de ejus cultu antiquissimo colligerem quam ex ipsis de eo testimoniis.[1] Dici enim vix potest, quam lubrica atque fallacia sint ejusmodi argumenta. Nigidii Figuli Romani oculos, quem Cicero dixisse fertur virum doctrina et eruditione studiorum praestantissimum, carmen fugisse, quod fortasse non nisi in Aegypto et Graecia notum fuerit, ipse Zoega (l. c. p. 217) non incredibile putat. Apollonii taciturnitas ea de causa excusari potest, quod poetae non sicut logographis licuerit, in carmine suo multa cosmogoniae specimina convertere, sed una tantum relatio eligenda fuerit et sequenda. Sequebatur autem, qui est mos cum aliorum tum Alexandrinorum virorum doctorum, eam quae a vulgari lectorum litterarum scientia quam remotissima esset. Quodsi conceditur, Phanetem in ea Orphica theogonia locum tenuisse, quae iam Platonis aevo praeter Hesiodi et Homeri carmina summa fuerit auctoritate in rebus ad religionem publicam spectantibus, non est quod miremur, Apollonium, delicatissimi fastidii hominem, illa spreta alius cujusdam Orphicae doctrinae lineamenta reddere maluisse tam obscurae originis, ut ne Scholiastes quidem, cujus inter notas multa inveniuntur, quae antiquiora habenda sint,[2] eam cognitam habuisse videatur.[3] Quod autem Zellerus Platonem in Symposio (p. 178 B) inter testes de ortu Amoris antiquissimo Orpheum non adhibere monet, fortasse propterea levioris momenti habendum est, quod Plato non dico Homeri, sed Homeridarum nullam

[1] Consulto autem omisi Pausaniae relationem *IX,* 27, 2: Ὠλῆνος δὲ ὕστερον Πάμφως τε ἔπη καὶ Ὀρφεὺς ἐποίησαν, καὶ σφίσιν ἀμφοτέροις πεποιημένα ἐστὶν ἐς Ἔρωτα, ἵνα ἐπὶ τοῖς δρωμένοις Λυκομίδαι καὶ ταῦτα ἄδωσιν. Quis enim ex his verbis concluserit: primum Orpheum, quia hymnos in Amorem composuerit, ejusdem dei etiam in Theogonia non immemorem fuisse; atqui Amorem esse Phanetem, cum Phanes etiam Ἔρως appelletur; ergo Phanetem iam in vetere Theogonia locum tenuisse? Non igitur intelligo, quomodo Gerhard (*l. c. p.* 78 *N.* 168) dicere potuerit: *Phanes, dessen Analogie mit dem von Orpheus besungenen thespischen Eros einleuchtend ist.* — Deinde notum est, primum Aristophanem in Avibus *v.* 692 *sq.* Ovi mundani mentionem facere. Sed recte Schol.: ταῦτα οὐκ ἀναγκαῖον ἀπευθύνειν πρὸς τὰ Ἡσιόδου ἢ πρός τινα ἄλλου τινὸς γενεαλόγου. Ceterum etiam de Epimenide cogitari posset (cf. *Damasc. l. c. p.* 383).

[2] Bernhardy, *Griech. Litt. II,* I, 359.

[3] *Schol. I,* 498 *p.* 329, ubi ex Empedocle aliove philosopho Apollonius hausisse dicitur, quae Orpheum canentem faciat.

pariter mentionem facit, quos de Amoris origine aliqua prodidisse ex versibus colligo ab eodem scriptore in Phaedro (p. 252 C) appositis:

τὸν δ' ἤτοι θνητοὶ μὲν Ἔρωτα καλοῦσι ποτηνόν,
ἀθάνατοι δὲ Πτέρωτα διὰ πτερόφοιτον ἀνάγκην.[1]

Maximi apud me momenti est, quod praeter Eudemum etiam Aristoteles nullo Metaphysicorum loco aliquam theologorum doctrinam de Phanete commemorat. Primum enim non sicut Plato casu et fortuitu hîc illic aliorum scriptorum placita orationi admiscere solet, sed fere semper praeeuntium philosophorum de qualibet materia praecepta recenset, priusquam ipse aporias diluere aggreditur. Vix igitur dubitandum est, quin ejusmodi locis, quales sunt Met. I, 4 p. 984 b 23 sq. ὑποπτεύσειε δ' ἄν τις Ἡσίοδον πρῶτον ζητῆσαι τὸ τοιοῦτον κἂν εἴ τις ἄλλος ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἔθηκεν ὡς ἀρχήν, οἷον καὶ Παρμενίδης κτλ. vel XIV c. 4, ubi theologos et poetas non ab optimo initium facere, eos vero, quos μεμιγμένους vocat, veluti Pherecydem, Magos, deinde etiam Empedoclem et Anaxagoram τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον ponere dicit, etiam Orpheum arcessivisset, si ejus singularis[2] doctrinae de mundo per Phanetem vel Amorem condito et postea consummato notitiam habuisset. Deinde vero nobis non sicut aliis responderi licet, Aristotelem propterea nihil de Phanete loqui, quod eam Orphicam theogoniam, qua Plato usus sit et in qua sola de illo sermo fuerit, omnino non cognitam habuerit. Supra enim satis comprobasse mihi videor, eandem et Platoni et Aristoteli tritam fuisse theologiam Orphei. Si igitur nihil aliud, favent saltem ejusmodi argumenta e silentio petita illis, quae antea ex scriptorum locis, quibus Phanes commemoratur, solis eruere studuimus.

Sunt autem alius quoque generis argumenta, quibus ne tantum quidem impetrari concesserim. Primum ajunt, theocrasiam in fragmen-

[1] Ita Zellero respondere malim quam cum Lobeckio (*Agl. p.* 529 *N.*), Platonem et Aristotelem Orphei suffragium tanquam depontani cujusdam repudiasse. Ipsum Orpheum enim minime deridere videtur Plato sicut Orpheotelestarum gregem, sed eum non minus quam Homerum et Hesiodum inter Graeci populi praeceptores recensere solet, cf. Gerhard *l. c. p.* 9 et *p.* 44 *N.* 6. — Ceterum illos duos versus non a Socrate fictos esse, bene probat Lobeckius *Agl. p.* 861.

[2] Solus enim Orpheus inter veteres poetas et theologos si non optimum deum (is enim Jupiter est), tamen meliorem et splendidiorem ab initio posuisset, quam ii essent, qui eum subsequerentur.

tis a falso Aristotele, Porphyrio, Stobaeo asservatis conspicuam non convenire cum summae antiquitatis consuetudine. At si non omnes, sed ii tantum illius in Jovem doxologiae versus, quos ex libro de Mundo supra exscripsi, digni habeantur, qui veteri Theogoniae restituantur, in iis nihil invenio, quod a Pisistratidarum temporibus alienum sit. Majori enim fortasse mihi offensioni esset, si ibi Jupiter Apollo vel Juno appellaretur, cum ejusmodi theocrasiae exemplum, qua ipsorum deorum Olympicorum nomina confundantur, nullum noverim, quod ad illos antiquitatis recessus reserpere videatur.[1] Sed postquam iam inde ab Homero Graeci in Jovem omnem reliquorum deorum potestatem et honores conferre eoque modo non minus quam philosophorum disquisitionibus ad cujusdam monotheismi fastigia eniti consueverunt, quid mirum, si poeta Anaximandro, Xenophani, Pythagorae aequalis Jovem omnes in se rerum elementa ac formas comprehendere splendidis illis versibus Ζεὺς πρῶτος γένετο κτλ. dicere orsus est? Equidem, quod ad ipsam rem attinet, non negaverim

[1] Lobeckius multis locis (*Agl. p.* 440, 460—465, 614 *coll. p.* 497, 538, 543, 545, 563) operam dat, ut aliqua theocrasiae jam saeculo sexto gliscentis indicia deprehendat. Quae autem profert, rara sunt atque sublesta. Primum enim omnes repudiandi sunt loci, quibus Graeci suos ipsorum deos cum externarum nationum numinibus veluti Artemin cum Bendide nec non Cererem cum Rhea (cf. Preller, *Griech. Myth. I,* 512) composuisse traduntur. Quorum unus videtur Plutarchi de Theopompo relatio *De Is. LXIX:* τοὺς πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦντας ἱστορεῖ Θεόπομπος ἡγεῖσθαι καὶ καλεῖν τὸν μὲν χειμῶνα Κρόνον, τὸ δὲ θέρος Ἀφροδίτην, τὸ δὲ ἔαρ Περσεφόνην, cui magnam ad suam sententiam comprobandam vim inesse sibi Lobeckius persuadet *Agl. p.* 462 *sq.* Deinde etiam philosophorum studia, qui inde a Metrodoro (cf. *Agl. p.* 156 *sq.*) allegoricae interpretationis artibus deorum nomina ad naturae elementa revocare eaque commiscere conati sunt, non sunt huc arcessenda. Id enim nunc agitur, num popularium duodecim deorum nomina iam saeculo sexto a poetis commutata et confusa sint. Primum ejusmodi non dico theocrasiae, sed onomatocrasiae exemplum Platonis quod sciam locus est *Crat. p.* 405 *D*, ubi Apollinem cum Sole a nonnullis permutatum esse videtur significari. Quamquam ego ibi magis in sidus quam in deum Solem allusionem inesse suspicor. Itaque vereor, ne notus ille versus Orphicus

εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος,

cujus prima mentio fit a Justino (*Agl. p.* 440 et 460 *sq.*), et ii Rhapsodiarum loci, quibus non solum „Cereris nomen cum Rhea, sed etiam Hecatae cum Proserpina, Dionysi cum Sole communicetur“ (*Agl. p.* 614), ab ipso Orpheo, poeta vetustissimo, non sit conscriptus.

Aeschylum, qui ab Athenaeo tradatur dictitasse, tragoedias suas τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων, aliquam βωμολοχίαν exercuisse verbis Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός, Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶν δ' ὑπέρτερον ab Orpheo depromptis.[1]

Iis autem quae modo dixi etiam ea refelluntur, quae contra pantheismum in fabula de Phanete magis excultum, quam qui Orphei aetati respondeat, a quopiam proferri possint. Cum enim inde a Thalete et Xenophane magis magisque in locum deorum ab Homero et Hesiodo commendatorum subrogarentur a philosophis sua de mundo et numine divino placita, ii, quibus veterum deorum cultum tueri cordi esset, id duplici modo efficere potuerunt. Aut enim mythos Homericos physiologice explicare studebant eo consilio, ut iam veteres poetas eadem, quae philosophos, docuisse hominibus persuaderent. Quorum Allegoretarum grex neutiquam recentis est originis.[2] Aut ipsa philosophorum inventa vel novis diis adstruendis vel antiquis fabulis mutandis et flectendis mythologice, ut ita dicam, reddere et imitari conati sunt. Quae artes cum non rarae sint cum in ipsorum philosophorum scriptis non minus quam poetarum metro heroico compositis, tum in eorum libris,[3] quos μεμιγμένους vocat Aristoteles, nescio, cur ejusdem temporis theologi et poetae[4] ab illorum consuetudine ita revocandi sint, ut nullo modo fabulis suis aliquid doctrinae pantheisticae admiscere potuerint, praesertim cum multi viri docti[5] asserere dubitent, omnia, quae de Orphicorum macrocosmo et psychogonia tradantur, sero demum conficta esse. Itaque propter pantheismum,

[1] *Aesch. fragm. ed. Dindorf*, 295. Alii illos versus ab Euphorione, Aeschyli filio, scriptos esse suspicantur, cf. Gerhard, *l. c. p.* 62 *N.* 87.

[2] Cf. *Agl. p.* 155 *sq.*, *p.* 609.

[3] Cf. Empedoclis et Parmenidis fragmenta et quae de Pherekydis, Epimenidis, Akusilai doctrinis nobis tradita sunt.

[4] Cf. illud Terpandri spondiacum (Ritschl's *Kleine philologische Schriften* (*Leipzig* 1866), *I*, 272.

Ζεῦ πάντων ἀρχά, πάντων
ἁγήτωρ Ζεῦ, σοὶ πέμπω,
ταύταν (τὰν) ὕμνων ἀρχάν.

[5] Lobeck, *Agl. p.* 908 *sq.*, *p.* 746; Bernhardy *l. c. II*, I, 429. Naegelsbach, *Die nachhomerische Theologie des griech. Volksglaubens* (*Nürnberg* 1857), *p.* 403.

quo imbuta videtur fabula de Phanetis cataposi, eam veteri Theogoniae non ausim abjudicare.[1]

Postremo si quis Phanetem vel propter Ericapaei nomen vel singularem indolem et ortum et fata peregrinum deum ducendum putet, non inauditum est, post Solonis tempora Graecos ex Asia vel Aegypto novos deos, ritus, mysteria recepisse. Neque Zagreus, quem scimus Onomacritum sive in Theogoniam sive in Τελετὰς Orphei ex Aegypto vel Creta[2] transtulisse, ita mystica caret interpretatione[3], ut Phanes propterea a saeculo sexto arcendus sit, quod eam nimis aperte prae se ferre videatur. Id quod eo minus mirandum, quo Phanes remotiorem a diis Olympicis locum tenet, cum etiam Hesiodus multos ab initio cosmogoniae deos posuerit, quorum natura haud multum a virium naturalium et phaenomenorum notione recederet.[4] Species vero dei taurinis aliorumque animalium capitibus accincta, alis praedita, ceterum mascula et feminea non magis quam ejus desorptio per Jovem facta ab antiquissimis et Homeri et Hesiodi fabulis abhorret, in quibus Centimani, Typhoei, Cerberi, Echidnae, Chimaerae aliaque monstra occurrant, Metis et Saturni liberi desorbeantur, ita ut tantum absit, ut hac de causa Phanes recentiore tempore in Graeciam transmigrasse putandus sit, ut propterea vix iure peregrinae originis damnandus videatur.

[1] Zeller (*l. c. I*, 73, *coll. p.* 45) mihi in versibus, qui sequuntur illos a Pseudoaristotele asservatos (*Agl. p.* 524, *fr. VIII*, *v.* 8—32), nimis ornatis et quaesitis offendisse videtur. Qui cum a Porphyrio demum et Stobaeo commemorentur, facile interpolati habendi sunt. In iis, qui in libro de Mundo leguntur, nihil inest, quod ab illo fragmento Aeschyleo discrepet.

[2] Gerhard, *l. c. N.* 45 et 80. Ceterum Graecos satis fuisse leves et inconstantes in cultu sacrorum neque abhorruisse a mutandis religionibus egregie contra O. Muellerum (*l. c. p.* 392), ut opinor, demonstrat Lobeckius *Agl. p.* 625 *sq.* Itaque ea de causa non negaverim, Zagreum esse Aegyptiorum Osirin (cf. *Agl. p.* 671, 693). Fortasse autem in Creta cultus Osiridis cum orgiis Bacchi primum conjunctus est et inde in notitiam venit Onomacrito. Quod si minus placet (*Agl. p.* 572 et 624), Phoenices etiam in ipsam Graeciam illum cultum ex Aegypto, ubi in Delta iam antiquissimis temporibus sedes habuere, transferre potuerunt (cf. G. Ebers, *Aegypten und die Bücher Mose's* [*Leipzig* 1868], *I*, 138).

[3] Cf. Gerhard, *l. c. N.* 195 et 233.

[4] Fortasse etiam Ophioneus Pherekydis ex Aegypto vel Phoenicia repetitus est, quamquam id negat Zellerus (*l. c. I*, 66).

Potuit igitur Phanetis cataposis inesse in vetere Theogonia Orphica, sed eam re vera infuisse, mihi ex iis, quae supra apposui, veterum scriptorum testimoniis, quibus solis aliquid de hoc deo memoriae proditum est, valde est veri dissimile. Ex Hieronymi igitur vel Hellanici libro Orphico, ubi Phanetis prima videatur mentio fieri, magis quam ex illa in Platonicorum Rhapsodias deductum existimo hunc deum multis de causis insignem atque notabilem.

§. 7.

Ut autem veteris Theogoniae lineamenta quam accuratissime adumbrem, restat, ut etiam de Zagreo nonnulla addam, quibus, utrum in illa de eo sermo fuerit nec ne, manifestum fiat. Qua in re mihi breviori esse licet quam in Phanetis fabula excutienda, cum de antiquitate narrationis de Zagrei morte nulla sit inter viros doctos dubitatio. Utrum enim Onomacritus Delphis ejus fabellae notitiam acceperit[1], an ipse eam finxerit mytho Aegyptiaco de Osiride a Typhone peremto in Graeciam transferendo[2], nihil nunc nostra interest, dum modo concedatur, eam ab Onomacrito ejusque aequalibus notam fuisse. Deinde ne id quidem dubium videtur, quin in quodam Orphico scripto illa Dionysi caedes narrata fuerit. Quaeritur tantum, fueritne hoc scriptum Theogonia nostra an aliud carmen sub Orphei nomine editum. Lobeckius illud affirmat hac fere

[1] O. Mueller, *l. c. p.* 393.

[2] Ita Lobeckius in dissertatione de morte Bacchi et in *Agl. p.* 615—699, ubi contra O. Muellerum suam defendit sententiam illo libello prolatam. Putat autem Onomacritum Osiridis fabulam ita Graecae mythologiae adaptasse, ut pro Typhone minus noto Titanes Dionysi occisores finxerit. Cujus rei ansam ei praebuisse Bacchica sacra „uno fortasse et altero post Homerum saeculo in Graeciam transfusa et ea certe aetate, qua Onomacritus vixerit, omnibus nota. Quae cum barbaro ritu h. e. cum insana omnium membrorum iactatione, thyrsorum intentatione cumque clamore ingenti ac vago discursu celebrata sint, imaginem hostilis impetus cladisque atrocis praebuisse et pro imitamentis eorum, quae deo ipsi horum solemnium praesidi facta sint, haberi potuisse", quamvis illa tripudia hominum a quotidianis negotiis feriatorum non a memoria rerum a diis antiquitus gestarum profecta sint, sed ab humanae vitae actibus moribusque canendo saltandoque imitandis, deplorandis ludificandisque. — Unde Onomacritus fabulam Aegyptiacam cognoverit, Lobeckius in medio relinquit *Agl. p.* 693 *N. a:* „Fieri potest ut theologia Thracia aut Phrygia ei exemplum praebuerit, sed quis abditos fontes conjectura quaerat?"

argumentatione usus. Pausanias, ubi de statua Anyti Titanis in templo Δεσποίνης posita edisserit (VIII, 37), haec addit: Παρὰ Ὁμήρου Ὀνομάκριτος παραλαβὼν τῶν Τιτάνων τὸ ὄνομα Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια καὶ εἶναι αὐτοὺς τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων ἐποίησεν αὐτουργούς. Haec igitur verba Lobeckius ita accipit, quasi Onomacritus sacris Bacchicis tum temporis iam dudum notis et inveteratis novum quendam colorem et speciem induxerit fabulamque de Dyonisi caede addiderit sceleris auctoribus Titanibus factis. Neque Onomacritum in ritibus innovandis acquievisse, sed etiam carmen scripsisse, quod illam fabulam continuerit, eo videlicet consilio, ut illorum sensum explicaret et scriptis verbis diuturnitatem suis conflaret institutis. Id quod inde apparere, quod „Pausanias eius orgia et ἔπη sic connectat, ut pateat unum alteri coniunctissimum fuisse." Haec autem ἔπη sub Orphei nomine edita esse eademque fuisse Theogoniam nostram propterea verisimile esse, quod „illam fabulam, quam Pausanias ab Onomacrito inventam dicat, in Theogonia Orphica neque usquam alibi enarratam sciamus".[1] Est autem Theogonia, quam Lobeckius dicit, rhapsodica, ita ut vir praestantissimus proprie sic ratiocinari videatur. Onomacritus in ἔπεσι suis de Zagreo verba facit. Idem deus praeterea non nisi in Rhapsodiis occurrit. Atqui Rhapsodiae non diversae sunt a vetere Orphica Theogonia. Ergo suspicandum, illa ἔπη hanc fuisse Theogoniam. Sed unde certum, in Rhapsodias nihil admissum esse, quin iam in vetere Theogonia exstiterit? Nonne supra vidimus, multa in eas recepta esse, quae magis cum Hieronymiani quam antiqui carminis tenore et indole consentirent? Quid igitur obstat, quominus Rhapsodiarum auctorem fabulam de morte Bacchi non ex Theogonia Orphica, sed ex quolibet alio Orphico libro ab Onomacrito supposito deprompsisse dicamus, si quae veterum scriptorum testimonia alium nobis illorum Onomacriti ἐπῶν titulum suggerant atque Theogoniae vel Theologiae? Ait autem Suidas[2] in catalogo scriptorum Orphicorum: Χρησμούς, οἳ ἀναφέρονται εἰς Ὀνομάκριτον· Τελετάς· ὁμοίως δέ φασι καὶ

[1] *Agl. p.* 335, 693. Nonnus multa de Zagreo narrat, sed ea non minus quam Novi Platonici ex Rhapsodiis duxisse videtur.

[2] S. v. Ὀρφεύς.

ταύτας Ὀνομακρίτου. De χρησμοῖς errat Suidas. Musaei enim oracula non Orphei ab Onomacrito interpolata tradunt Herodotus et Clemens Alex.[1] Nec credibile est, in oraculis, paucorum versuum carminibus, satis longam illam de Zagrei morte narrationem infuisse. Quodsi poëma, quo Onomacritus Pausania auctore Dionysi παθήματα descripsit, Pseudorphicis utique scriptis adnumerandum videtur, solae Τελεταί restant, quas Suidas nonnullos Onomacrito tribuere memoriae prodat.[2] Quae conjectura inde magnam ducit veri speciem, quod re vera in illis Τελεταῖς multa de Zagreo ejusque nece a Titanibus perpetrata relata esse Clemens Alexandrinus et Diodorus Siculus narrant. Haec enim ille tradit:[3] Τὰ Διονύσου μυστήρια τέλεον ἀπάνθρωπα· ὃν εἰσέτι παῖδα ὄντα ἐνόπλῳ κινήσει περιχορευόντων Κουρήτων, δόλῳ δὲ ὑποδύντων Τιτάνων, ἀπατήσαντες παιδαριώδεσιν ἀθύρμασιν οὗτοι δὴ οἱ Τιτᾶνες διέσπασαν, ἔτι νηπίαχον ὄντα, ὡς ὁ τῆς τελετῆς Ὀρφεύς φησιν ὁ Θρᾴκιος·

κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια
μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

καὶ τῆσδε ὑμῖν τῆς τελετῆς τὰ ἀχρεῖα σύμβολα οὐκ ἀχρεῖον εἰς κατάγνωσιν παραθέσθαι· ἀστράγαλος, σφαῖρα, στρόβιλος, μῆλα, ῥόμβος, ἔσοπτρον, πόκος. Ἀθηνᾶ μὲν οὖν τὴν καρδίαν τοῦ Διονύσου ὑφελομένη, Παλλὰς ἐκ τοῦ πάλλειν τὴν καρδίαν προσηγορεύθη· οἱ δὲ Τιτᾶνες, οἱ καὶ διασπάσαντες αὐτὸν λέβητά τινα τρίποδι ἐπιθέντες καὶ τοῦ Διονύσου ἐμβαλόντες τὰ μέλη, καθήψουν πρότερον· ἔπειτα ὀβελίσκοις περιπείραντες ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο (Il. 2, 426). Ζεὺς δὲ ὕστερον ἐπιφανείς, εἰ θεὸς ἦν, τάχα

[1] *Herod. VII*, 6 cf. *V*, 90, 93; *Clem. Al., Strom. I*, 397 *ed. Potter*: τοὺς ἀναφερομένους εἰς Μουσαῖον χρησμοὺς Ὀνομακρίτου εἶναι λέγουσιν. Quamquam Lobeckius versum, qui ex Orphei vaticiniis sumptus videatur, affert (*Agl. p.* 237, *IV coll. p.* 410, *XXXVI*) et Mullachius alterum nescio quo iure addit (*l. c. I*, 189 *fragm. LVII, v.* 6—7). Sed Philochorus illum versum

Οὔ τοι ἀριστερός εἰμι θεοπροπίας [ἀναφαίνειν]

non dicit ex „Oraculis" Orphei depromptum esse, sed omnino ex quibusdam ejus „ποιήμασιν". Quae quidem mihi potius illa Orphica Ἔργα καὶ Ἡμέραι vel aliud carmen de diebus faustis, atris, religiosis (*Agl. p.* 411 *sq.*) videntur fuisse.

[2] In Suidae catalogo nuper a Gaisfordio ex cod. Parisino A post verba Ὀνομαστικόν, ἔπη ϡσ' additum esse: Θεογονίαν, ἔπη ϡσ', iam supra monitum est. Itaque non iam queri licet, in catalogis scriptorum Orphicorum Theogoniam silentio praeteriri, nisi quis putet, illa verba ab aliquo librario interposita esse, qui quod Theogonia, omnium Orphicorum carminum notissima, deesset miratus sit.

[3] *Protrept. p.* 15 *Pott.*

ποὺ τῆς κνίσης τῶν ὀπτωμένων κρεῶν μεταλαβών, ἧς δὴ τὸ γέρας λαχεῖν ὁμολογοῦσιν ὑμῶν οἱ θεοί (Il. IV, 49), κεραυνῷ τοὺς Τιτᾶνας αἰκίζεται καὶ τὰ μέλη τοῦ Διονύσου Ἀπόλλωνι τῷ παιδὶ παρακατατίθεται καταθάψαι. ὁ δέ, οὐ γὰρ ἠπείθησε Διί, εἰς τὸν Παρνασσὸν φέρων κατατίθεται διεσπασμένον τὸν νεκρόν.[1] Et idem:[2] Εὕροις δ' ἂν καὶ Ὅμηρον τὸν μέγαν ποιητὴν ἐκεῖνα τὰ ἔπη·

οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης

καὶ τὰ ἑξῆς κατὰ λέξιν μετενηνοχότα παρ' Ὀρφέως ἐκ τοῦ Διονύσου ἀφανισμοῦ. ἔν τε τῇ Θεογονίᾳ ἐπὶ τοῦ Κρόνου Ὀρφεῖ πεποίηται κτλ. Diodorus autem[3]: Τοῦτον τὸν θεὸν γεγονέναι φασὶν ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης κατὰ τὴν Κρήτην, ὃν Ὀρφεὺς κατὰ τὰς τελετὰς παρέδωκε διασπώμενον ὑπὸ τῶν Τιτάνων. His igitur nisus testimoniis[4] Gisekius[5] contendit, Dionysi caedem non in Theognia, quam Clemens verbis ἔν τε τῇ Θεογονίᾳ plane distinguat a libro Διονύσου ἀφανισμός inscripto, sed in una ex illis Τελεταῖς scriptam fuisse ab Onomacrito[6] sub nomine Orphei editis. Et profecto insignis iste poeta melius causae suae consuluit, si mysteriorum, quae condidit, Orphicorum et interpretandorum et stabiliendorum causa carmen scripturus hymno modico[7] Zagrei ortum, educationem, interitum, sepulturam narravit, quam si ingenti theogoniae mole exstructa sub calcem episodii instar eam adiecit historiam, cujus solius gratia ad scribendum animum induxerat. Sin quis Dionysi fabulam non in transitu relatam, sed ita in fine theogoniae positam fuisse

[1] De hac sepultura Bacchi ab Apolline Delphis facta cf. *Agl. p.* 558 *sq.* et *p.* 616 *sq.*

[2] *Strom. p.* 751.

[3] *V*, 75.

[4] Addendus videtur alius Diodori locus *III*, 61: Σύμφωνα δὲ τούτοις (scil. Cererem terram, Bacchum vinum, ejus occisores agricolas esse) εἶναι τά τε δηλούμενα διὰ τῶν Ὀρφικῶν ποιημάτων καὶ τὰ παρεισαγόμενα κατὰ τὰς τελετάς, περὶ ὧν οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν τὰ κατὰ μέρος. Hîc igitur scripta Orphica a mysteriis (τὰ παρεισαγόμενα κατὰ τὰς τελετάς) distinguuntur, ita ut ambigi possit, utrum verba Ὀρφεὺς κατὰ τὰς τελετάς in textu apposita similiter de mysteriis, an de libro illo Τελεταί inscripto intelligenda sint. Quoniam autem Diodorus quid Orpheus in his τελεταῖς tradiderit dicere non veretur, eas diversas fuisse colligo ab illis, περὶ ὧν οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν.

[5] *Rhein. Mus., VIII p.* 76 *sq.*

[6] Cf. Ritschl, *l. c. I*, 240.

[7] Ita in hymnis Homericis multa narrantur de Apollinis, Dionysi Thebani (h. VII) aliorumque deorum fatis et rebus gestis.

putet, ut in hunc puerum regium quasi in scopum propositum totus amplissimi carminis progressus dirigeretur, et ejus dei παθήματα prae aliorum Jovis filiorum fatis praedicarentur et enarrarentur, mihi ea, quae in Rhapsodiarum fragmentis commemorantur de deorum Olympicorum ortu et connubiis, quamvis sint pauca[1], tamen plura videntur esse, quam quae sine impedimento ejusmodi carmini intertexere licuerit; neque Plato, ubi in Timaeo singulas Orphicae Theogoniae dynastias recenset,[2] Zagreum silentio praeterire vel verbis ἔτι τε τούτων ἄλλους ἐκγόνους obiter tantum inter aliorum liberorum Jovis gregem significare potuit.

Itaque non magnopere gravarer Zagrei iacturam facere, nisi quae inde sequuntur mihi aliquam moram inferrent. Si enim Zagrei fabula ex vetere Theogonia eximatur, tota nobis corruet illa coniectura a Lobeckio summo acumine et immensis laboribus exaedificata, qua Theogoniam Orphicam ab Onomacrito scriptam esse probare studuit. Quae enim in hanc sententiam disputat, omnia huc fere redeunt. Fabulae de Zagrei morte nullum ante Onomacriti tempora vestigium inveniri; itaque versimile esse, Theogoniam, ubi ea insit, illud ipsum esse carmen, quod Onomacritus secundum Pausaniam ad explicandos sacrorum Bacchicorum vel Orphicorum vel denique Phrygiorum ritus conscripserit. Quodsi Zagreus ex vetere Theogonia expellendus est, non video, quo titulo in hunc omnis Minervae hominem id quoque honoris conferatur, quod celeberrimae Orphicae Theogoniae auctor sit. Sin ea Onomacriti, non ita obscuri saeculi hominis, manus effugerit, summum erit periculum, ne in praecedentium saeculorum tenebras submergat rursusque ante oculos nostros emergat veri Orphei species viros doctos denuo una cum Homero et Hesiodo vexaturi. Quaerendum igitur est, num praeter Zagrei fabulam alia inveniri possint indicia, quae Theogoniam Orphicam trans Pisistradidarum aevum relegare nos vetent. Si enim hujus carminis origines sexti saeculi temporibus quasi terminis circumscribere contingat, non desperandum, fore, ut adversus illa testimonia supra allata rursus, id

[1] *Agl. p.* 540 *sq.*

[2] Cf. supra §. 2.

quod Lobeckius vult, ab Onomacriti Τελεταῖς non diversum haberi possit. Ac primum quidem afferri potest illud πολυθρύλητον Herodoti:[1] Οὗτοι (Homerus scilicet et Hesiodus) δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι .... οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν γενέσθαι ὕστερον, ἔμοιγε δοκέειν, ἐγένοντο. Quibus verbis Herodotum non negare, ,,fuisse ante Homerum poetas, sed exstare quidquam in litteris antiquius", optime docuit Lobeckius Agl. p. 348. Itaque Herodotus, qui Homerum et Hesiodum quadringentis annis ante se vixisse putet, Orphica scripta suo tempore pervulgata contendit post annum octingentesimum tricesimum scripta esse. Alios vero aliam secutos esse opinionem, cum ipse verbis ἔμοιγε δοκέειν indicat,[2] tum ex iis, quos Lobeckius collegit Agl. p. 329 sq., veterum scriptorum locis abunde patet. Trecentis autem annis post Homerum a quodam Pisistratidarum aequali aliquod Orphei opus commenticium editum esse, non dicit Herodotus, negat vero Aristoteles, si quidem non de quolibet Orphico libro sed de Theogonia quaeritur. Is enim omnium gravissimus scriptor, ubi de Orphei scriptis loquitur, duo mihi eorum genera distinguere videtur, alterum non dico verum sed tamen vetustissimum, alterum subditicium et recentiore tempore confictum. Qua in re cum bene sciam praestantissimos viros aliter sentire[3], paucis dicam, cur ita iudicem. Notus est Ciceronis locus de N. D. I, 38. 107: ,,Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis." In Aristotele igitur Cicero quaedam se legisse recordatur, quae ullum Orpheum poetam fuisse in dubium revocarint; sed eundem Aristotelem certum Orphicum carmen Cercopi adscribere, nullo verbo indicat. Quis enim illud ,,ferunt" ad pracedentis membri subjectum ,,Aristoteles" re-

[1] *II*, 53, quem ad locum H. Stein in editione sua conferri iubet Xenophanis versus: πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε, Οἳ πλεῖστ' ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίστια ἔργα κτλ.

[2] ***Herodotus** VII*, 6 de Onomacrito Pisistratidarum comite disserens eum Musaei quidem Oracula interpolasse (cf. *Agl. p.* 332 *sq.*) dicit, sed de aliqua Orphica Theogonia ab eo supposita nihil addit. Verum ex hoc silentio non collegerim, Herodotum eam antiquiorem illo chresmologo habuisse.

[3] Etiam Bode (*l. c. p.* 54), Aristoteles, inquit, omnia carmina Orphica sui temporis pro spuriis declaravit.

ferat?[1] Verba autem „Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse“ satis obiter a Cicerone inter alia, quibus adversarium refellere studeat, argumenta posita vix ita premenda videntur, ut locum in deperditis Aristotelis libris fingamus necesse sit, ubi haud dubiis verbis Orpheum umquam fuisse negatum fuerit. Cur enim Cicero non ex libris de Anima (I, 5, p. 410. 628) et de Animalium generatione (II, 1, p. 734 a 19), ubi ex Ὀρφικοῖς ἔπεσι καλουμένοις nonnulla afferuntur, collegerit magis quam didicerit, Aristotelem docere, omnia Orphei opera commenticia esse eorumque auctorem tralaticium numquam fuisse? Verum sit sane, id quod plurimi volunt, certus et dilucidus locus,[2] quem Cicero respiciat, quid ibi docuit Aristoteles? Philoponus ad verba de An. I, 5: ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ἔπεσι καλουμένοις λόγος haec adnotat: Καλουμένοις εἶπε, ἐπειδὴ μὴ δοκεῖ Ὀρφέως εἶναι τὰ ἔπη ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λέγει· αὐτοῦ μὲν γάρ εἰσι τὰ δόγματα· ταῦτα δέ φασιν (φησιν? vide quae ad marginem adscripsi) Ὀνομάκριτον ἐν ἔπεσι κατατεῖναι (sic Lobeckius pro καταθεῖναι Agl. p. 349 N. a et p. 757). Quae si

[1] Miror igitur Lobeckium scribentem (*Agl. p.* 349): „discrepat Cicero Cercopem ab Aristotele fraudis appellatum dicens“. — Illud „ferunt“ recinit cum Diodori et Suidae locis supra allatis tum in Tatiani, Clementis Alexandrini, Philoponi, Aristidis Scholiastae notis semper formulam φασίν usurpantium, ubi de veris scriptorum Orphicorum auctoribus conjecturas faciunt.

[2] Primum vocabulum „docet“, quo Cicero usus est, indicare videtur, Aristotelem alicubi aliquanto fusius et data opera de Orphei aetate disseruisse. Quod tamen in libro de Poetis eum fecisse (Bode, *l. c. p.* 35), minus crediderim. Philoponus enim verbis infra appositis libros de Philosophia nominat, ubi Aristoteles de Orpheo ejusque scriptis accurate disceptaverit. Ciceronem autem eundem atque Philoponum librum in mente habuisse, inde colligo, quod non multo ante (*N. D. I*, 13. 33) tertii de Philosophia libri meminerat (cf. Brandis, *l. c. II*, II, 1 *p.* 83, 84 *N.* 127). Nec video ullam inter ea, quae Cicero et Philoponus tradit, discrepantiam. Philoponus enim de Aristotele nihil dicit, nisi eum quaedam Orphica carmina non ab Orpheo scripta putasse h. e. poetam Orpheum numquam fuisse existimasse. Quae porro addit αὐτοῦ μὲν γὰρ κτλ., de suo mihi adjicere videtur absque Aristotelis auctoritate. Vix enim credo, illud φησίν, quod praebet Lobeckius aliique post eum, sinceram esse lectionem. Bode (*l. c. p.* 48 *N.* 2) legit φασίν. Equidem, cum in bibliotheca Lipsiensi Philoponi commentarius ad librum de Anima deesset, nihil potui dijudicare, sed quoniam lectio φασίν non minus illi „ferunt“ a Cicerone usurpato quam Suidae, Diodori, Tatiani, Clementis Alex., Aristidis Scholiastae locis (cf. Bode *l. c.*) unanimiter φασίν scribentium optime convenit eaque restituta omnis tollitur inter Ciceronem et Philoponum dissensio (*Agl. p.* 349), iure mihi praeferre videor Bodii scripturam φασίν.

recte intelligo, Philoponus in Aristotelis libris de Philosophia nihil praeterea videtur invenisse, nisi quod Stagirites Orphica carmina, quae vulgo ferebantur, ab ipso fabuloso Orpheo, qui numquam fuisset, pernegavit scripta esse. Quod testimonium duplici modo potest accipi. Aut enim Aristoteles similiter atque Herodotus (II, 53) dicere voluit, nulla exstare ἔπη, quae ab Orpheo ipso h. e. illo poeta celeberrimo et secundum vulgares opiniones Homerum et Hesiodum aetate multo antecedente composita essent. Quae si erat sententia, nihilominus veterum Orphicorum carmina bene ei distinguere licuit a novorum impostorum libellis subditiciis. Aut omnia Orphica scripta quamvis inter se diversa in eandem conjecit capulam eaque sine ulla exceptione conficta putavit ab ejusmodi scriptoribus, quales fuere Onomacritus, Cercops, Brontinus aliique. Quarum sententiarum ut credam Aristotelem illam amplexum esse, ea re adducor, quod in Metaphysicis, ubi aperte carmen quoddam theogonicum ejus oculis obversabatur, non contemptim de καλουμένοις Ὀρφικοῖς ἔπεσιν loquitur, sed ubique[1] τοὺς παμπαλαίους καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας vel τοὺς ποιητὰς τοὺς ἀρχαίους in ore habet, ita ut facile sentiamus, Aristotelem eorum, quae antea[2] dixerit in libris de Philosophia, memorem cavere quidem, ne illam θεολογίαν Orphicam ipsi adscribat Orpheo, nec tamen dubitare, quin ei summam antiquitatem vindicet. Qua de causa censeo, eum in libris de Anima et de Animalium generatione non omnia Orphica carmina καλούμενα vocare, sed ea tantum, ex quibus tum forte nonnulla excerpserit, quaeque a Pythagoricae sectae fautoribus conscripta esse facile ex doctrinis in iis conspicuis

[1] *Met. I*, 3, *p.* 983 *b* 28; *II*, 4, *p.* 1000 *a* 9; *XII*, 6, *p.* 1071 *b* 27; *XIV*, 4, *p.* 1091 *b* 4; cf. *Plato*, *Theaet. p.* 179 *E*: Ὁμηρείων καὶ ἔτι παλαιοτέρων, ubi Orpheum significari putat Lobeckius (*Agl. p.* 948).

[2] Etiam Eudemum, Aristotelis discipulum, Orphei theologiam vetustissimam habuisse, etsi magistri librum de Philosophia sine dubio legerit, ex nonnullis Damascii locis (*l. c. p.* 382: Ἡ δὲ παρὰ τῷ Περιπατητικῷ Εὐδήμῳ ἀναγεγραμμένη ὡς τοῦ Ὀρφέως οὖσα θεολογία; *p.* 393, ubi κατὰ τὴν Εὐδήμου ἱστορίαν Acusilai et Epimenidis aliorumque et Graecorum et barbarorum theologorum dogmata exponuntur, cf. *p.* 384, 385) assequendum est, quibus Eudemum vetustissimos cujusque gentis theologos in sua Historia recensuisse appareat.

intelligere potuerit.[1] Sin ea scripta, quae Aristoteles καλούμενα vocat, iam medio sexto saeculo tribuenda sunt, vix erit impediendum, quominus Theogonia nostra „παμπαλαία“ ad Homeri vel Hesiodi saltem tempora recedat. Quod si ita est, Onomacritus ejus auctor esse non potest. Sin hoc concedatur, Zagreus, quem consensu omnium scriptorum primum ab Onomacrito ἔπεσι celebratum esse constet, nullum in vetere et sincera Orphica Theogonia locum tenuit.

His igitur omnibus efficitur, Orpheum unum tantum Dionysum scilicet Thebanum, Semelae filium, in Theogonia commemorasse, qui iam Homero haud incognitus fuerit. Alter Dionysus,[2] Proserpinae filius, ex Onomacriti Τελεταῖς vel ex Hieronymi Theogonia[3] in Rhapsodias receptus videtur ab eodem scriptore, qui praeter duplicem Dionysum in uno et eodem carmine fingere non dubitaverit duplicem Venerem,[4] duplicem Phorcum,[5] duplex genus Gratiarum,[6] triplicem denique Noctem.[7] Cum enim inde ab Onomacriti temporibus Orphei nomen magis magisque cum mysteriis Bachicis, ubi Zagrei παθήματα celebrabantur, connecteretur et ipsa sacra Orphica ad hunc potissimum deum spectarent, fieri vix potuit, quin homo saeculis natus superstitione et magia refertis, cum veteris Orphicae Theogoniae mutandae consilium cepisset, eum deum silentio praeteriret, cujus cultus omnibus Orphicae doctrinae assectatoribus maxime cordi esset.[8]

---

[1] Locus De Anima *I*, 5 ad Φυσικά (*Agl. p.* 755 *sq.*), De Gener. anim. ad Δίκτυον (*Agl. p.* 381) referendus videtur.

[2] Novi Platonici nusquam Zagreum, sed semper Dionysum in ore habent (*Agl. p.* 549). Itaque suspicandum, in Rhapsodiis eos illud nomen non legisse.

[3] Cf. *Tatian, c. Gr. VIII p.* 251; *Athenag., Suppl. c.* 20 et 32 et quae supra de his locis diximus.

[4] *Agl. p.* 542.

[5] *Agl. p.* 509.

[6] *Agl. p.* 398, 538, 543. Pausanias (*IX*, 35) Hesiodum referens in Theogonia Gratias appellare filias Jovis et Eurynomae addit: κατὰ ταὐτὰ δὲ ἐν ἔπεσίν ἐστι τοῖς Ὀνομακρίτου. Haec Onomacriti ἔπη Lobeckius Theogoniam Orphicam esse putat. Proculus vero Gratias secundum Orpheum Vulcani et Veneris filias reddere videtur (*Agl. p.* 543). Hinc ille vir doctissimus suspicatur, Orpheum Gratiarum genus duplex induxisse. Equidem simplicius duco, si id quod iam supra animadverterimus, Onomacriti ἔπη non esse Theogoniam Orphei, Pausaniae verbis confirmari dicamus.

[7] *Agl. p.* 502.

[8] Cf. Gerhard, *l. c. N.* 53.

§. 8.

His ita expositis iam nobis nonnulla de veteris Orphicae Theogoniae auctore et indole suspicari licebit. Quod igitur ad auctorem attinet, facilius dicendum erit, quis non fuerit quam quis fuerit. Onomacritum fuisse, ex iis quae modo dixi non verisimile est. Zagrei enim fabula ex Theogonia adempta cum nullum veterum scriptorum testimonium exstet, quo aliquid neccessitudinis inter hoc carmen et illum poëtam intercessisse probetur,[1] mera erit libido, si quis nihilominus eum id scripsisse affirmaverit. Nec maiore iure Cercopi Milesio, quem Gerhardus collegam Onomacriti reddere voluit,[2] is honos vindicandus est. Id quod eidem viro doctissimo videtur placuisse. Dicit enim in dissertatione de Orpheo p. 76 N. 167, non solum Clementem et Suidam, sed etiam Ciceronem Cercopem Orphicae theologiae auctorem habuisse. Cicero illo loco modo laudato de N. D. I, 38, 107 post verba: „Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse“ addit: „Et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis.“ Quod fuerit hoc Orphicum carmen et a quo primo Cercopi Pythagoreo adscriptum sit, narrat Clemens Alex.:[3] Ἐπιγένης ἐν τοῖς περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως Κέρκωπος εἶναι λέγει τοῦ Πυθαγορείου τὴν εἰς Ἅιδου κατάβασιν καὶ τὸν ἱερὸν λόγον. Et similiter Suidas:[4] Ἱεροὺς λόγους, ἐν ῥαψῳδίαις κδ΄· λέγονται δὲ εἶναι Θεογνήτου τοῦ Θεσσαλοῦ, οἱ δὲ

---

[1] Praeter ea, quae in praecedenti paragrapho apposui, fortasse commemorandus est Sexti Empirici locus *Pyrrh. Hypot. III*, 30 et *Adv. Mathem. IX*, 361: Ὀνομάκριτος ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γῆν (scil. εἶπε τῶν πάντων εἶναι ἀρχήν). Sed haec neque ad Rhapsodias neque ad veterem Theogoniam, ubi Nox, Terra, Coelus ab initio positi sint, referri posse manifestum est. A Fabricio aptissime componuntur versus a Clemente Al. (*Strom. VII*, 746 *Pott.*) sub Orphei nomine laudati:

Ἔστιν ὕδωρ ψυχῇ, ψυχὴ δ' ὑδάτεσσιν ἀμοιβή,
ἐκ δ' ὕδατος μὲν γαῖα, τὸ δ' ἐκ γαίης πάλιν ὕδωρ,
ἐκ τοῦ δὲ ψυχὴ ὅδὸν αἰθέρος ἀλλάσσουσα

(cf. *Agl. p.* 948). Ceterum hos versus non ex Rhapsodiis ductos esse, etiam fragmenta probant a Majo ex Proculi Comm. ad Plat. Rep. X nuper edita (cf. *Rhein. Mus. N. F., IV*, 389 *sq.*), ubi nihil de illa ἀμοιβῇ inter animam et aquam intercedenti legitur.

[2] Cf. *l. c. N.* 156; *über d. Hes. Theog. N.* 29 *sq.*

[3] *Strom. I*, 21 *p.* 397 *Pott.*

[4] *S. v.* Ὀρφεύς.

Κέρκωπος τοῦ Πυθαγορείου. Ab Epigene igitur, quem Lobeckius suspicatur primum fuisse Orphicorum carminum ordinatorem vel interpretem,[1] quoddam Orphicum carmen, quod erat inscriptum Ἱερὸς λόγος, Cercopi Pythagoreo tributum est. Hinc igitur ita ad Theogoniam pergunt. Istum ἱερὸν λόγον non diversum esse ab ἱεροῖς λόγοις, quos Suidas a nonnullis (i. e. Epigene et iis, qui eum sequebantur) Cercopi vindicari tradat. Ἱεροὺς autem λόγους in viginti quattuor rhapsodias digestos non aliud esse carmen atque Theogoniam. Ergo hanc a Cercope Pythagoreo[2] scriptam esse. Cui tamen sententiae mihi multa videntur obstare. Clemens Alex.[3] Ὀρφεύς, inquit, μετὰ τὴν τῶν ὀργίων ἱεροφαντίαν καὶ τῶν εἰδώλων τὴν θεολογίαν παλινῳδίαν ἀληθείας εἰςάγει τὸν ἱερὸν ὄντως ὀψέ ποτε ὅμως δ' οὖν ᾄδων λόγον·[4]

φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις κτλ.

Et Aristobulus apud Eusebium:[5] Ὀρφεὺς ἐν ποιήμασι τῶν κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον αὐτῷ λεγομένων οὕτως ἐκτίθεται περὶ τοῦ διακρατεῖσθαι θείᾳ δυνάμει τὰ πάντα . . . .

φθέγξομαι κτλ.

Aristobuli igitur et Clementis tempore ille versus iam Platoni[6] notus legebatur in carmine Ἱερὸς λόγος inscripto. At hoc carmen non Theogoniam fuisse, sed Διαθήκας vel Palinodiam, quam vocat Lobeckius,[7] ex iis quae Agl. p. 438 sq. allata sunt satis manifestum est. Palinodiam autem post Clementem Alex. una cum Rhapsodiis ex vetere Theogonia et Hieronymi Genealogiis conflatis in unum corpus Orphicum comprehensam et redactam esse,[8] haud negaverim. Et fortasse

[1] *Agl. p.* 340.

[2] Gerhard (*über Orpheus, N.* 156) de Cercope Milesio verba facit, quem aperte non diversum esse a Pythagoreo putavit. Similiter Ritschl, vir celeberrimus, (cf. *l. c. I,* 45) aliquando duos Cercopes confudit, nunc vero (*I,* 65) Marckscheffelio (*Comment. Hesiod. p.* 158 *sq.*) assentiens prorsus diversos esse antiquum Cercopem Milesium, epicum poetam, atque Cercopem Pythagoreum iudicat. Ita iam Fabricius, *Bibl. Gr. I,* 592.

[3] *Protrept. c.* 7 *p.* 63 *Pott.*

[4] Cf. *Plutarch. Symp. l. II,* 3. 2: Ἀείσω συνετοῖσι τὸν Ὀρφικὸν καὶ ἱερὸν λόγον.

[5] *Praep. Ev. XIII,* 12. 4 *p.* 191 *Dind.*, cf. *Agl. p.* 441, 448 *N. t.*

[6] *Symp. p.* 218 *B.*

[7] *Agl. p.* 449.

[8] *Agl. p.* 454, cf. *p.* 417, 483, 508, 714 *sq.*

nomen ἱερὸς λόγος, quod illi soli primum erat carmini, post eam comprehensionem in totum corpus propagatum, sed in numerum pluralem ἱεροὶ λόγοι conversum est, quia non iam aptum videbatur tam longo et in tot rhapsodias digesto operi. Quod si ita est, facile Suidas Epigenis de solo vetere ἱερῷ λόγῳ iudicium ad totas rhapsodias transferre potuit.[1] Itaque Cercopem Pythagoreum veterem Orphicam Theogoniam scripsisse, nullo veterum auctorum testimonio evincitur. Neque res ullam per se probabilitatis speciem habet. Etenim Pythagorei, qui Pisistratidarum temporibus Athenis Orphicos agebant, omnes iam imbuti erant illis mysticis opinionibus, quae ex sacris Bachicis ad initiatos emanarent.[2] Cum igitur supra demonstraverimus, Zagreum in Theogonia sedem non habuisse, non credibile est, eam ab aliquo Pythagoreo confictam esse. Postremo Aristotelis verba §. 3 et 7 proposita luculenter evincere mihi videntur, Theogoniam Orphicam neque a puris putis philosophis neque ab illis μεμιγμένοις,[3] quos vocat Aristoteles, scriptam, sed a quodam poeta vetustissimo et in fabulis deorum enarrandis ab Homeri et Hesiodi simplicitate paene nihil recedenti compositam esse. Quacum sententia optime congruunt, quae supra[4] de toto progressu et ordine hujus carminis Hesiodeae Theogoniae simillimo et de singulis fabulis in eo relatis diximus. Phanete enim et Zagreo ademptis paene nihil restat, quod alienum sit a veterrima Graecorum mythologia, qualis conspicua est in Iliade, Odyssea, primis hymnis Homericis, Hesiodi carminibus, quodque recentioris aetatis colorem et studia prodat.

[1] Suidas ἱεροὺς λόγους primo loco Theogneto Thessalo (non Diogneto, ut Gerhard, *l. c. N.* 167 scripsit) tribuit. Si postea Cercopem quoque induxit propterea, quod is ab Epigene auctor habitus erat τοῦ ἱεροῦ λόγου i. e. Palinodiae, quae tum pars erat totius Orphici corporis, fortasse quispiam dicat, Theognetum adhibitum esse, quia a nonnullis auctor alterius partis i. e. Theogoniae habitus sit. Sed quis poetae Comico (*Fabr. II,* 500) serio id carmen celeberrimum et veterrimum assignaverit?

[2] Gerhard, *l. c. N.* 118, 111, 116.

[3] *Met. p.* 1091 *b*: οἵ γε μεμιγμένοι αὐτῶν καὶ τῷ μὴ μυθικῶς ἅπαντα λέγειν, οἷον Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες, τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι. — Ceterum ex ea, quam in textu apposui, causa manifestum est, ne de Orpheo quidem Crotoniata cogitandum esse, qui non minus quam Cercops Pythagoricae sectae addictus fuerit.

[4] §. 2.

Quodsi de nomine auctoris Orphicae Theogoniae quaeritur, profecto nihil certi dici potest, nisi quis nos ad Homeri et Hesiodi exemplum revocans contendere audeat, ipsum Orpheum eam scripsisse. At longe aliter res se habet de hoc atque de illis. Forsitan enim aliquis iis, quae de patria Homeri traduntur, permotus concedat, Homerum Smyrnae vel Chii Iliadem composuisse, et porro Hesiodum, qui a Musis Heliconiadibus concitatus Theogoniam suam condiderit, eundem esse suspicetur atque illum poetam Ascraeum, auctorem carminis, quod Ἔργα καὶ Ἡμέραι inscribitur; sed Orpheum, Thamyris, qui iam ab Homero celebretur, aequalem et ipsius Homeri antecessorem[1] eam, cujus nunc fragmenta tenemus, Theogoniam scripsisse, incredibile mihi videtur. Cum autem post Lobeckium, qui in libro secundo Aglaophami[2] Graecos ante Homerum nihil de Orpheo cognitum habuisse egregie defenderat, alii exstiterint viri doctissimi, qui multa et mira de vetustissimis Thraciis vatibus eorumque scholis narrare non dubitarent,[3] necesse est, hîc quoque quantum per hujus dissertatiunculae spatium licet aliqua addam, quibus appareat, quomodo Orphei nomen primum nostrae Theogoniae et postea multis aliis libris plenis philosophicis et mysticis et ad Bacchica sacra spectantibus doctrinis inscriptum sit quaeque similitudo inter Orpheum, Homerum, Hesiodum mihi intercedere videatur. Cum igitur ex memet ipso quaero, cur Homerum Iliadem, Hesiodum Theogoniam scripsisse haud invite concedam, Orpheum vero has Genealogias adornasse dicere nolim, hanc mihi videor causam intelligere. Ante Homerum et Hesiodum alii fuere poetae, qui in Graecia pedetemtim artem metricam excolerent,[4] fabulas de diis et heroibus cantu celebrarent, optimas et maxime a populo laudatas congererent, expolirent, inter se connecterent, deorum non minus quam hominum

[1] Gerhard, *über Orph. N.* 65: „*Ohne Orpheus kein Homer*" et similiter *Bode, l. c. p.* 69 *sq.*

[2] *Agl. l. II, cap.* 3 *p.* 225 *sq.*

[3] Cf., quae Gerhardus, *l. c. p.* 13 *sq.* disputat, cui capiti titulum praefixit: *Die Thrakische Sängerschule.*

[4] Quantum distet hexameter versns a veterum Indogermanorum rudibus hemistichiis, praeclare docuit Rossbach et Westphal, *l. c. II,* 11 *sq.*

fortissimorum et potentissimorum stirpes vel fingerent vel percontando explorarent. Tot enim saecula ante Homerum nullo modo sine ulla poësis exercitatione et incremento cogitari possunt.[1] Distinguendum igitur est inter eos poetas, qui postremo ex materia non bene digesta splendida illa carmina veluti Iliadem et Odysseam exaedificarunt, aliquam eorum quamvis non omnibus numeris absolutam continuitatem effecerunt, omnia venusta simplicitate et suavissima eloquentia enarraverunt, et inter eorum quasi praecursores magis impolitos et dissolutos. Illi sunt Homeri et quodammodo etiam Hesiodi, hi vero Demodoci et si qui etiam Hesiodum antecesserunt in deorum genealogiis adornandis theologi. In utram igitur partem relegandus Orpheus? Num una cum Homero et Hesiodo multorum praegressorum poetarum dux et quasi caput habendus est, an ipse erat ejusmodi praecursor, quem post longum demum tempus is secuturus esset, qui theogoniae opus absolveret? Ad quod vix dubia erit responsio. Si enim Orpheum, Oeagri filium, metri heroici, litterarum, magiae, sacrorum lustralium, mysteriorum, artis medicae inventorem[2] revera vixisse contra Aristotelis auctoritatem sumamus et si eum Orphicam Theogoniam ipsum scripsisse dicamus, quanta nobis quaeso ineptiarum turba hinc orietur! Nihil enim dico, num illa aetate, qua Orpheus vixisse fertur, non solum Homerum sed ea quae describit in Iliade tempora antecedenti iam ars scribendi satis apud Graecos percrebruerit; sed si Orpheus Theogoniam scripsit, necesse est fingamus Graecos vel omnes vel eos, qui ad Pierum montem[3] in Thessalia et Macedonia sedes habuerint, iam illo primo omnis eorum historiae crepusculo tam tristes et severos et conscientiae terroribus contritos fuisse,

[1] Quod enim J. Grimm de Germana antiquitate dixit (*Deutsche Mythologie,* [3 *Ausg. Göttingen* 1854] *I, p.* VII): *Mir widersteht die hoffärtige ansicht, das leben ganzer iahrhunderte sei durchdrungen gewesen von dumpfer, unerfreuender barbarei,* idem dicendum de vetustissimis Graecis. Qui autem apud omnes gentes fuerit ordo et processus et consummatio epicae poëseos, optime mihi videtur indicasse Steinthal, *Zeitschr. für Völkerpsychologie V,* 1 *sq.*

[2] *Agl. p.* 233 *sq.*

[3] Gerhard (*l. c. p.* 46) Pierios Thraces habet, O. Mueller (*Proleg. p.* 220) Graecos.

ut non aliter atque Hesiodi temporibus[1] anxie quaesiverint de mundi ortu et rebus post mortem futuris. Sin Orpheus ne Graecus quidem sed Pierius i. e. Thracius poeta fuit, quomodo Graecum carmen componere et Graecos deos celebrare potuit? Postremo si Orpheus iam omnes Olympicos deos noverat, num etiam ii, a quibus eorum notitiam accepit, Jovis Minervae Apollinis numina sicuti Homerus omnibus, quae hominibus sunt, animi virtutibus, vitiis, cupidinibus ornaverunt; an tum etiam sub deorum nominibus subaudiebant notiones virium et phaenomenorum naturalium? Etenim ante Orpheum regressi haud longe aberimus ab aevi Indogermanici liminibus, ubi nondum grassabatur illa metaphorarum labies, qua postea Olympum a diis frequentatum M. Muellerus putat.[2] Itaque Orpheum nullo modo ita cum Homero et Hesiodo componendum puto, quasi ipse Theogoniam sicuti illi Iliadem et Hesiodea carmina litteris consignaverit. Inter eos igitur habendus est poetas, qui rhapsodistarum instar antehomericorum per multa saecula omnes fabulas, quibus ei, qui tandem continuum opus editurus esset, opus fuit, colligerent fingerent connecterent.[3] Ita etsi non forma, tamen argumentum Orphicae Theogoniae ab Orpheo forsitan repeti posse videatur. Attamen ne praepropere agamus, cavendum est. Etenim tertium quoque datur. Quid enim, si Orphica Theogonia neque ab Orpheo scripta neque ita cum eo connexa erat, ut Orphei δόγματα in ea quamvis ab alio recentioris aetatis scriptore reposita essent, sed prorsus nullum inter hanc et veterem vatem vinculum exstabat? Videndum igitur, quid nos veterum auctorum testimonia de hac re doceant. Quamquam enim non nego, fieri potuisse, ut quaedam doctrinae ab Orpheo profectae et ab ejus discipulis vel a quibusdam collegiis sacerdotalibus propa-

[1] Bernhardy, *l. c. II*, 1 *p.* 269 *sq.* Etsi imprimis ex altero carmine Ἐ. κ. Ἡ. quaedam animi tristitia compareat, tamen etiam in Theogonia illam Homericam hilaritatem desiderare mihi videor. Quae nescio, an solis Jonibus semper fuerit, neque ullo tempore etiam Aeolibus.

[2] *Vorlesungen über die Wissenschaft der Sprache, übers. v. C. Böttger* (2. *Aufl. Leipzig* 1866), *II*, 336 *sq.*

[3] Cf. Philoponi verba supra laudata: μὴ δοκεῖ Ὀρφέως εἶναι τὰ ἔπη . . . . αὐτοῦ μὲν γάρ εἰσι τὰ δόγματα κτλ.

gatae postremo a quopiam poeta litteris mandarentur, tamen id re vera factum esse non prius crediderim quam fuerit demonstratum, ea, quae ex fragmentis cognoscamus, optime congruere cum iis, quae veteres tradant de vita, cultu, religione illius fabulosi Orphei. Sunt autem tria potissimum, quae nobis de Orpheo poeta[1] narrantur. Primum erat Thrax Pierius;[2] deinde Solem vel Apollinem prae ceteris diis coluit, Bacchum vero neglexit;[3] tertio poësis ejus sacerdotalis erat et melica.[4] Primum igitur in Theogonia nostra, si quae vere Orphica continuit, quaedam infuisse necesse est, quae Thraciam religionem redoluerint. Thraces autem exceptis Getis, qui in sedibus suis Piero monti prorsus contrariis Zalmoxin venerabantur et immortales animas post mortem beatam apud eum vitam obtinere existimabant,[5] ab Herodoto (V, 6) dicuntur θεοὺς σέβεσθαι μούνους τούσδε· Ἄρεα καὶ Διόνυσον καὶ Ἄρτεμιν. Reges vero praeterea etiam Mercurium maxime colere et summum deum habere. Ita quidem Herodotus. Sed vix credo, Thraces mille annis ante Herodotum Orphei aetate iam eosdem neque ullos alios deos coluisse. Dionysum in Thraciam peregre advenisse, cum Lycurgi fabula iam ab Homero (Il. 6, 130 sq.) narrata, tum ipsius Orphei caedes a Bacchis perpetrata[6] satis probare mihi videntur. Apollinem autem ante Dionysum Thracibus non ignotum fuisse, fortasse inde colligendum, quod apud Homerum Apollinis sacerdos Thracius[7] commemoratur et quod Orpheus Solem, quem Apollinem vocaverit, in Pangaeo monte adoravisse, Dionysum autem nullo

[1] De ejus poësi tantum hîc quaeritur, ceterae ejus artes mittendae sunt.

[2] Gerhard, *l. c. p.* 45 *N.* 11.

[3] *Ib. p.* 49 *N.* 28, 29; cf. *N.* 25, 55, 84.

[4] *Ib. N.* 81, 14: Bode, *l. c. p.* 139 *sq.*

[5] Getas una cum Trausis et τοῖς κατύπερθε Κρηστωναίους Herodotus nominatim discernit a ceteris Thracibus. Sed Trausi et Crestonaei non nisi quibusdam moribus diversi dicuntur, Getae soli religione et cultu dei discrepabant, cf. *Herod. V*, 4 et *IV*, 94.

[6] Aeschylus in Bassaridibus eam in scenam produxit (cf. Pseudoeratosthenes cataster. c. 24.), quae secunda erat fabula Lycurgiae tetralogiae, cf. *Aesch. trag. et fragm. ed. Ahrens* (*Parisiis* 1864), *I.* 177 *sq.* et Droysen, *Aeschylos übers.* (3. *Aufl. Berlin* 1868) *p.* 553 *sq.*

[7] Maron, qui Ismari, in urbe Ciconum, in luco Apollinis habitavit, *Odys.* 9, 40 et 197. Hesiodus eum Dionysi sacerdotem videtur reddidisse, *Schol. Ambr. Od.* 9, 198, cf. *Agl. p.* 286.

honore affecisse traditur.[1] Deinde etiam Musas in Pieria saltem iam tum temporis sacram habuisse sedem, non omni probabilitate caret.[2] Sed Mercurium, quem Herodotus Thracios reges „maxime deorum colere“ narrat, veterrimis Thraciae diis adjicere haesito. Lycurgus enim rex neque a Mercurio originem duxit, sed a Marte, neque Mercurium maxime coluit, sed solum Martem. Unde igitur reges recentioris aetatis illum Mercurii cultum a civibus suis vel repsutum vel secretum acceperunt? Ubicunque reges aliam atque populi religionem sequi videris, non falsus eris, si eos populos a peregrinis ducibus quondam subactos esse dixeris. Itaque etiam Thraces post domesticos reges, quorum in numero Lycurgus erat, sub gentis alienae imperium videntur redacti esse, quae ex sua terra Mercurium deum importaverit. Quam quidem gentem Germanicam fuisse, inde colligo, quod ii quoque „Mercurium maxime deorum colebant“.[3] Nec deest

[1] *Eratosthenes l. c.*: Ὃς τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν· ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν Ἥλιον πρῶτον. — Ante Troiam excisam (cf. Lepsius, *Königsbuch der alten Egypter* [*Berlin* 1858], *p.* 130 *sq.*) Sesostris h. e. reges dynastiarum XVII. — XX. (Duncker, *Geschichte des Alterthums* [3. *Aufl.*, *Berlin* 1863], *I*, 112 *sq.*) Raemses Miammun imprimis et Raemses III. per Asiam usque in Thraciam regnum propagarunt (cf. *Herod. I*, 103; *Diod. Sic. I*, 55; *Strabo XV*, 6 *p.* 686; Manetho apud Josephum, *c. Ap. I*, 15; *Tacit. An. II*, 60). Nonne tum temporis Dionysus h. e. Osiris agmen suum, quod describit *Diodorus I*, 20, in Thraciam, ubi Maronem reliquit et Lycurgum occidit, deducere potuit? Sin Sesostris ex inscriptionibus Aegyptiacis (Duncker, *l. c. p.* 134. 143) Hellespontum non est transgressus, tamen non mirandum erit, si ex Asia ab Aegyptiis subacta nonnulla ex religione Aegyptiaca in Thraciam emanaverint. Attamen haec incerta sunt et dubitationis plena.

[2] Cf. Gerhard, *l. c. p.* 64 *N.* 98.

[3] Nonnus, *Dionys. XX*, 149: ἔνθα τις, Ἄρεος αἷμα, μιαιφόνος φύετο ἀνήρ et v. 168: . . Ἐνυαλίῳ δὲ τοκῆι δαιτρεύων ἱέρευσεν.

[4] *Ib. XXI*, 128: Ἄρεα μοῦνον ἔχω γενετῆρα, μοῦνον ἐρίζειν
Ζηνί, Ποσειδάωνι, Ῥέῃ, Χθονί, Νηρεῖ, Βάκχῳ.

Cf. Zoega, *l. c. I*, 1 *sq.* Nonnus neglectum Jovem, Neptunum aliosque deos de suo fortasse addidit, sed Martem Lycurgi fuisse patrem vel avum — nam *Il.* 6, 130 Lycurgus Δρύαντος υἱός appellatur — ex antiquis fontibus videtur mihi accepisse, cf. *Odys.* 8, 361, ubi Thracia dicitur Marti praecipue dilecta.

[5] *Tacitus Germ. c.* 9, J. Grimm, *l. c. p.* 108, 136. Mercurius est Wuotan, quocum non solum ideo congruere videtur, quod est litterarum inventor etc., sed etiam quod etymon nominis Ἑρμῆς (sanskr. Saram-êja-s) fortasse significat illum

suspicio, Getas Thracibus a septentrionibus finitimos hunc fuisse populum Germanicum. Etenim eos a Thracibus diversos fuisse cum Herodotus significat, tum J. Grimm aliis quoque de causis sagaciter suspicatus est.[1] Idem vir ingeniosissimus eos Germanos duxit.[2] Quid igitur, si Getae post Lycurgum Thraces bello adorti summum suum deum Zalmoxin i. e. Wodanem i. e. Mercurium[3] secum in Thraciam victam et expugnatam transtulerunt? — Quae si omnia mecum reputo, Thraces Orphei temporibus mihi Martem, Dianam, Apollinem vel Solem, Musas denique videntur coluisse. Martem autem et Dianam prae ceteris diis in Theogonia Orphica celebratos esse, nullo quod sciam indicio manifestum est. Musas deinde poeta non saepius opinor commemoravit, quam cum eas ad auspicandum vel finiendum cantum incitavit.[4] Restat igitur Apollo, de quo mihi nunc seorsum dicendum est, cum „Apollineo“ quodam ornatu et lumine Orpheum fulgere inde a Klausenio[5] iterum iterumque dictitatum sit. Omnium de hac re testimoniorum luculentissimum Eratosthenis locus est modo laudatus, ex quo discimus, Orpheum in Pangaeo Solem sub Apollinis nomine[6] adorasse. Quo in nuncio quamvis facile offendere queas

ὁρμῆς (cf. G. Curtius, *Grundzüge der Griech. Etymologie* (1 *Ausg. Leipzig* 1858) *I*, 313), id quod cum Wodanis natura procellosa (Grimm, *l. c. p.* 871) optime convenit. Praeterea etiam Germanorum reges, non minus quam Thracii a Mercurio, originem petebant a Wodano (Grimm, *l. c. p.* 149).

[1] J. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache* (3. *Aufl. Leipzig* 1868), *I*, 129.

[2] *Ib. p.* 125 *sq.*

[3] Zalmoxis non iisdem de causis quibus Ἑρμῆς Wodani similis videtur. Etenim Zalmoxis propterea cum hoc componendus est, quod animae immortales post mortem ad utrumque venire putabantur. Nominum Zalmoxis et Gebeleizis Germanicam etymologiam eruere studet Grimm, *Gesch. d. d. Spr. I*, 131. Itaque Zalmoxis Getarum et Mercurius regum Thraciorum non propterea confundendi sunt, quod ipsi prorsus non differant, sed quia ambo tertio deo videlicet Wodani similes sunt.

[4] Cf., quae supra hac de re dixi.

[5] *Allgemeine Encyclopaedie* von Ersch und Gruber (1835), *III*, 6, 9 *sq.* Cf. Gerhard, *l. c. p.* 49 *N.* 28.

[6] Apollinem significare deum solis et lucis, etiam novi mythologi rursus concedunt (cf. Preller, *Gr. Myth. I*, 182). Apollonium autem (cf. Gerhard, *l. c.*) Orpheum tanquam Apollinis cultorem descripsisse, ex locis *II*, 685. 928; *IV*, 1547 non satis mihi videtur apparere. Sed sufficit Pseudoeratosthenis locus. Etenim verba ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ ποιητής supra exscriptis subiuncta satis ostendunt, iam Aeschylum ita sensisse. — Ceterum

honore affecisse traditur.[1] Deinde etiam Musas in Pieria saltem iam tum temporis sacram habuisse sedem, non omni probabilitate caret.[2] Sed Mercurium, quem Herodotus Thracios reges ,,maxime deorum colere" narrat, veterrimis Thraciae diis adjicere haesito. Lycurgus enim rex neque a Mercurio originem duxit, sed a Marte, neque Mercurium maxime coluit, sed solum Martem. Unde igitur reges recentioris aetatis illum Mercurii cultum a civibus suis vel resputum vel secretum acceperunt? Ubicunque reges aliam atque populi religionem sequi videris, non falsus eris, si eos populos a peregrinis ducibus quondam subactos esse dixeris. Itaque etiam Thraces post domesticos reges, quorum in numero Lycurgus erat, sub gentis alienae imperium videntur redacti esse, quae ex sua terra Mercurium deum importaverit. Quam quidem gentem Germanicam fuisse, inde colligo, quod ii quoque ,,Mercurium maxime deorum colebant".[5] Nec deest

[1] *Eratosthenes l. c.:* Ὃς τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα, τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν· ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν ἥλιον πρῶτον. — Ante Troiam excisam (cf. Lepsius, *Königsbuch der alten Egypter* [*Berlin* 1858], *p.* 130 *sq.*) Sesostris h. e. reges dynastiarum XVII. — XX. (Duncker, *Geschichte des Alterthums* [3. *Aufl.*, *Berlin* 1863], *I*, 112 *sq.*) Raemses Miamnun imprimis et Raemses III. per Asiam usque in Thraciam regnum propagarunt (cf. *Herod. I*, 103; *Diod. Sic. I*, 55; *Strabo XV*, 6 *p.* 686; Manetho apud Josephum, *c. Ap. I*, 15; *Tacit. An. II*, 60). Nonne tum temporis Dionysus h. e. Osiris agmen suum, quod describit *Diodorus I*, 20, in Thraciam, ubi Maronem reliquit et Lycurgum occidit, deducere potuit? Sin Sesostris ex inscriptionibus Aegyptiacis (Duncker, *l. c. p.* 134, 143) Hellespontum non est transgressus, tamen non mirandum erit, si ex Asia ab Aegyptiis subacta nonnulla ex religione Aegyptiaca in Thraciam emanaverint. Attamen haec incerta sunt et dubitationis plena.

[2] Cf. Gerhard, *l. c. p.* 64 *N.* 98.

[3] Nonnus, *Dionys. XX*, 149: ἔνθα τις, Ἄρεος αἷμα, μιαιφόνος ᾤκεεν ἀνήρ et *v.* 168: . . Ἐνυαλίῳ δὲ τοκῆι δατρεύων ἱέρευσεν.

[4] *Ib. XXV*, 128: Ἄρεα μοῦνον ἔχων χραισμήτορα, μοῦνος ἐρίζων
Ζηνὶ, Ποσειδάωνι, Ῥέῃ, Χθονὶ, Νηρέϊ, Βάκχῳ.

Cf. Zoega, *l. c. I*, 1 *sq.* Nonnus neglectum Jovem, Neptunum aliosque deos de suo fortasse addidit, sed Martem Lycurgi fuisse patrem vel avum — nam *Il.* 6, 130 Lycurgus Δρύαντος υἱός appellatur — ex antiquis fontibus videtur mihi accepisse, cf. *Odys.* 8, 381, ubi Thracia dicitur Marti praecipue dilecta.

[5] *Tacitus Germ. c.* 9, J. Grimm, *l. c. p.* 108, 136. Mercurius est Wuotan, quocum non solum ideo congruere videtur, quod est litterarum inventor etc., sed etiam quod etymon nominis Ἑρμῆς (sanskr. Saram-êja-s) fortasse significat filium

suspicio, Getas Thracibus a septentrionibus finitimos hunc fuisse populum Germanicum. Etenim eos a Thracibus diversos fuisse cum Herodotus significat, tum J. Grimm aliis quoque de causis sagaciter suspicatus est.[1] Idem vir ingeniosissimus eos Germanos duxit.[2] Quid igitur, si Getae post Lycurgum Thraces bello adorti summum suum deum Zalmoxin i. e. Wodanem i. e. Mercurium[3] secum in Thraciam victam et expugnatam transtulerunt? — Quae si omnia mecum reputo, Thraces Orphei temporibus mihi Martem, Dianam, Apollinem vel Solem, Musas denique videntur coluisse. Martem autem et Dianam prae ceteris diis in Theogonia Orphica celebratos esse, nullo quod sciam indicio manifestum est. Musas deinde poeta non saepius opinor commemoravit, quam cum eas ad auspicandum vel finiendum cantum incitavit.[4] Restat igitur Apollo, de quo mihi nunc seorsum dicendum est, cum ,,Apollineo" quodam ornatu et lumine Orpheum fulgere inde a Klausenio[5] iterum iterumque dictitatum sit. Omnium de hac re testimoniorum luculentissimum Eratosthenis locus est modo laudatus, ex quo discimus, Orpheum in Pangaeo Solem sub Apollinis nomine[6] adorasse. Quo in nuncio quamvis facile offendere queas

ὁρμῆς (cf. G. Curtius, *Grundzüge der Griech. Etymologie* (1 *Ausg. Leipzig* 1858) *I*, 313), id quod cum Wodanis natura procellosa (Grimm, *l. c. p.* 871) optime convenit. Praeterea etiam Germanorum reges, non minus quam Thracii a Mercurio, originem petebant a Wodane (Grimm, *l. c. p.* 149).

[1] J. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache* (3. *Aufl. Leipzig* 1868), *I*, 129.

[2] *Ib. p.* 125 *sq.*

[3] Zalmoxis non iisdem de causis quibus Ἑρμῆς Wodani similis videtur. Etenim Zalmoxis propterea cum hoc componendus est, quod animae immortales post mortem ad utrumque venire putabantur. Nominum Zalmoxis et Gebelcizis Germanicam etymologiam eruere studet Grimm, *Gesch. d. d. Spr. I*, 131. Itaque Zalmoxis Getarum et Mercurius regum Thraciorum non propterea confundendi sunt, quod ipsi prorsus non differant, sed quia ambo tertio deo videlicet Wodani similes sunt.

[4] Cf., quae supra hac de re dixi.

[5] *Allgemeine Encyclopaedie von* Ersch und Gruber (1835), *III*, 6, 9 *sq.* Cf. Gerhard, *l. c. p.* 49 *N.* 28.

[6] Apollinem significare deum solis et lucis, etiam novi mythologi rursus concedunt (cf. Preller, *Gr. Myth. I*, 182). Apollonium autem (cf. Gerhard, *l. c.*) Orpheum tanquam Apollinis cultorem descripsisse, ex locis *II*, 685, 928; *IV*, 1547 non satis mihi videtur apparere. Sed sufficit Pseudoeratothenis locus. Etenim verba ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ ποιητής supra exscriptis subiuncta satis ostendunt, iam Aeschylum ita sensisse. — Ceterum

propterea, quod Pangaeus mons pro Piero, ubi Orpheus habitasse plerumque traditur, ab Eratosthene commemoratur, tamen ex iis, quae modo disserui de antiquissima Thracum religione, neque veri-dissimile est, Orpheum Apollinem coluisse, et alia, quae veteres auctores de Orpheo tradunt, eam confirmant conjecturam. A nonnullis enim Apollinis filius vocatur, ab aliis citharoedus, postremo natura ejus atque ingenium severum et pudicum magis cum Apollinis verecundia quam cum obscoenitate Bacchi, a cujus maenadibus interficitur, videtur convenire. Quod si ita est, fortasse non fortuitu factum esse dicas, ut etiam in Theogonia, libro Orphicorum scriptorum vetustissimo, nondum sacrorum Bacchicorum mentio fiat;[1] sed vereor, ne nimiae temeritatis sit, si propterea, quod Theogoniae auctor nullam Zagrei notitiam habuit, statim eum Apollinei Orphei discipulum finxeris. Nullo enim praeterea indicio suspicari licet, hunc theologum Apollinem vel Solem eximio honore in carmine suo ornavisse, cum iam nobis vetitum sit, quominus Phaneti, Rhapsodiarum personae, sedem concedamus in vetere Theogonia. Itaque ne sic quidem aliquid cognationis Orphei veterrimi et iunioris efficitur. Nec feliciores nos futuros arbitror, si antiquissimae poësis Orphicae tum ἦθος tum formam exploraverimus. Si quid enim omnino hac de re neglectis Lobeckii cachinnis[2] statuendum est, cum Gerhardo[3] forsitan dicas, Orphei poësin sacerdotalem et melicam fuisse. Sacerdotalis propterea dici posse videtur, quod ad cultum deorum pertinebat neque auditorum causa delectandorum a poeta composita erat. Hymnos enim Orpheus proprie videtur fecisse nec tamen tales, quales plurimi

---

Klausen (*l. c.*) conferri inbet *Aesch. Suppl.* 212—215, *Soph. Oed. R.* 660 et inc. fr. 772.

[1] Cf. §. 7. Etenim Bacchica sacra, quae dicuntur, non tam ad Dionysum Thebanum, quem in Theogonia commemoratum esse non nego, quam ad Zagreum pertinebant.

[2] *Agl. p.* 321.

[3] *L. c. p.* 14: *Wenn man die Anfänge des Epos dem Tamyris zugesteht, so sind die übrigen thrakischen Sänger, insonderheit Orpheus, um so entschiedener durch Anmuth und Weisen ihres Gesangs, durch das Melos und durch den priesterlichen Character ihrer Dichtung ausgezeichnet.* Cf. *N.* 68, 69.

Homerici sunt,[1] sed ejusmodi, qui in sacris ad celebrandum Apollinem, Orphei deum, et ad citharam, Orphei instrumentum, canerentur. Neque vero paeanes erant, qui non tam ad deum Pythium celebrandum quam placandum et implorandum citarentur; neque hymni strictiori sensu dicti, qui fortasse non ad Apollinem spectarent (Bernhardy l. c. p. 633) et metro heroico compositi essent (cf. Hes. Theog. v. 1—115 et v. 411—452); neque prosodia, quae ad tibiam canerentur; neque encomia, quae sero demum existerent et maxime ad homines laudandos pertinerent; sed νόμοι, qui antiquissimis temporibus in honorem Apollinis imprimis a Doribus, Orphei aetate Piero monti finitimis,[2] ad citharam pia voce funderentur. Melicam autem hanc Orphei poësin appellavi, quoniam illi νόμοι, sive metro heroico sive trochaico compositi erant,[3] certe melico magis quam epico generi adscribendi sunt (Bernhardy l. c. p. 629: der Nomos ein alterthümlicher Vorläufer des Melos). Quodsi nonnulli scriptores Orphicos hymnos commemorant,[4] intelligo eos fuisse νόμους melicos, quos Terpander, insignis ille nomorum poeta, imitatus sit (Alexander Polyh.

---

[1] Bernhardy, *l. c. II,* 1, 221: *Dieser hymnologische Nachlass hat mehr der Rhapsodik als dem Kult gedient . . . Gross und klein machen sie den Eindruck epischer Studien und rhapsodischer Arbeit, deren Standpunkt meistentheils profan war. Fast durchgängig erkennt man eine dem Studium geweihte Dichtung, die einen weltlichen Zweck erfüllt und den uns bekannten religiösen Hymnen* (scil. Olenis aliorumque hymnologorum Apollinis *p.* 633) *wenig gleicht.*

[2] *Herod. I,* 56.

[3] Boeckh, *de metr. Pind. p.* 201: „Nomi quidem, qui aut αὐλῳδικοί aut κιθαρῳδικοί, antiquitus simplicis erant metri, citharoedici ex hexametris heroicis, quamquam et τροχαῖος νόμος laudatur, auloedici ex distichis elegiacis“. Fortasse etiam illius insignis ὀρθίου νόμου Terpandri metrum spondaicum erat (*v. Herod. I,* 24. 21 et quae Stein adnotat). Itaque nescio, an Proculus (cf. Bernhardy, *l. c. II,* 1, 628) verbis δοκεῖ δὲ Τέρπανδρος μὲν πρῶτος τελειῶσαι τὸν νόμον, ἡρῴῳ μέτρῳ χρησάμενος omnino non verum dixerit, cf. Westphal, *Prolegomena zu Aeschylus Tragoedien* (*Leipzig* 1869), *p.* 78 *sq.* — Ceterum antiquissimum Graecorum nomum per longum tempus mere fuisse hexametrum iudicat Ritschl, *l. c. I,* 263.

[4] *Plato, Legg. VII,* 829 *E* (ubi tamen Lobeckius *Agl. p.* 390 Thamyris et Orphei nomina duntaxat exempli causa afferri eorumque loco etiam Sirenum cantum usurpari potuisse haud inscite putat); Menander *De Encom. II,* 30; *V,* 41; *Aristides Or. III,* 28. — Pausanias, (*IX,* 27. 2 et 30. 12) Orphei ἔπη vel ὕμνους in Amorem commemorat, quos Lycomedae (cf. *Agl. p.* 982) ἐπὶ τοῖς δρωμένοις canebant. Ergo haec quoque carmina Orphicam poësin proprie mere fuisse lyricam videntur comprobare.

apud Plutarchum de Mus. c. V: ἐζηλωκέναι φασὶ τὸν Τέρπανδρου Ὁμήρου μὲν τὰ ἔπη, Ὀρφέως δὲ τὰ μέλη. ὁ δ' Ὀρφεὺς οὐδένα φαίνεται μεμιμημένος).[1] Hoc autem posito, quid nobis, obsecro, similitudinis restat veteris poetae sacerdotalis et lyrici atque recentioris theologi, qui genealogias deorum carmine longo et epico et minime decantatu in sacris publicis apto enarraverit? Si igitur vixit Orpheus Pierius et si quae ab eo propagatae sunt doctrinae, usque dum a Theogoniae scriptore litteris mandarentur, certe hodie neminem tam lynceum esse existimo, ut ejus cognationis aliquod vestigium possit indagare.

Cum igitur iam apertum sit, Orphicam Theogoniam neque Onomacriti temporibus scriptam esse neque ullo modo implicitam esse cum antetrojani Orphei doctrinis, quaerendum est, quonam eorum, quae in medio posita sunt, saeculo auctor ejus vixerit. Verum cum hodie vix quisquam adhuc dubitet, quin studia theogonica vel certe theogoniarum confectio secuta sit Homerica carmina, solum disceptari poterit, utrum Orphica an Hesiodea Theogonia prius scripta sit. Equidem ut hanc illa antiquiorem putem, his rationibus adducor. Primum iam supra[2] monitum est, fortasse in Orphica Theogonia nonnullas fabulas pinguius et turpius quam in Hesiodea enarratas fuisse. Id quod imitatorum magis est quam sui ingenii scriptorum. Deinde fatendum quidem est, nonnulla praesertim sub initium carminis Orphici inveniri, quae simpliciora et propterea antiquiora videantur quam quae ab Hesiodo in genealogiarum exordio posita sint, veluti Noctem pro Chao, peculiarem Oceani et Tethyos dynastiam Homero quoque approbatam, Amoris, qui iam philosophorum argutias redoleat, absentiam. Sed vicissim etiam apud Orpheum quaedam occurrunt, quae ejus tempora cultiora et magis in sophistarum artibus exercitata fuisse quam Hesiodea satis prodant. Jovem enim dico, qui non solum illo hymno supra[3] apposito, sed etiam totius carminis structura atque consilio[4] praeter Homeri et Hesiodi consuetudinem ita ceteris diis

[1] *Schol. Aristoph. Equ.* 9: νόμοι δὲ καλοῦνται οἱ εἰς θεοὺς ὕμνοι.

[2] §. 2, cf. etiam Preller, *Demeter und Persephone* (*Hamburg* 1837), *p.* 46.

[3] §. 6 *p.* 45.

[4] Jupiter ab Adrastea nutritur (*Agl. p.* 514), deinde adultus Metin consilii patris expellendi sociam sibi assumit (*Apollod. bibl. I*, 2. 1. Etenim haec non minus

anteponatur, ut iam ne Μοίρᾳ quidem subiectus videatur et ipse prorsus non diversus habeatur a totius mundi anima et natura. Ejusmodi autem pantheismum iam ante Homeri aetatem viguisse et a gentibus Doricis vel Aeolicis Boeoticisque arcano iis saeculis propagatum esse, quibus Jones, quippe homines illis hilariores et φανταστικώτεροι, varias deorum fabulas finxerint, incredibile videtur. Sed si, id quod minime nego, polytheismum purior antecessit religio,[1] tamen homines antiquissimos Deum semper sub hominis imagine sibi repraesentasse et familiari quodam ejus commercio fructos esse puto, nec divinum numen eos quasi enecuisse et rebus visibilibus veluti stercori par habuisse.[2] Itaque Orpheum illud

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος κτλ.

post Hesiodum videtur mihi cecinisse. Et fortasse ne hoc quidem spernendum ad eam sententiam confirmandam, quod supra[3] conjeci, Orpheum versu in Platonis Philebo asservato: ἕκτῃ δ' ἐν γενεᾷ καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς respicientem Hesiodi carmen usum esse, ut significaret, se theogoniae suae heroogoniam non esse additurum. Similiter etiam in fabula de Jovis et Metidis conjugio Hesiodi obscuram et exilem narrationem videtur amplificasse et ornasse.[4] Postremo si in dijudicandis rebus summae antiquitatis caligine obrutis praeter paucorum testimoniorum auctoritatem etiam aliquid valet ratio et analogia, spero fore ut huic quoque considerationi non omnis desit nervus et evidentia. Quaerenti enim, qui fuerit progressus doctrinae de sorte animarum post

ex Orpheo sumpta esse quam ea, quae de Adrastea et Ida *I*, 1. 4 cf. *Agl. p.* 515 tradantur, mihi persuasum est. Apud Hesiodum enim Apollodorus haec non legit. Sed Lobeckius necessario haec silentio praeterire debuit, cum Metin omnino non ab Orpheo commemoratam esse propter Phanetis cataposin credere cogeretur), rerum autem potitus Δίκην assectatricem habet. Quibus personis fictis et allegoricis Jupiter nondum ab Hesiodo stipatus erat.

[1] Cf. Max Müller, *Essays, B. I. Beiträge zur vergleichenden Religionswissenschaft* (*Leipzig* 1869), *p.* 37.

[2] Ita enim Pamphus (*Philostr. Heroic. III*, 39 *p.* 69):

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ
μηλείῃ τε καὶ ἱππείῃ καὶ ἡμιονείῃ.

[3] §. 2.

[4] Cf. §. 6.

mortem futura inde ab Iliade usque ad Solonis et Pisistratidarum tempora, fortasse ita respondendum est. In Iliade et antiquissimis Odysseae libris omnes animae post mortem in Orci domum veniunt ibique omnes eandem tristem[1] subeunt condicionem. Postquam autem iam exeunte aetate Homerica[2] Graeci de rebus humanis et divinis magis meditari consueverunt, primum iniquum videbatur, si iusti et iniusti pari premerentur in Orco miseria. Itaque Menelao 'Ηλύσιον πεδίον (Odys. 4, 563) sub Rhadamanthi imperio promittitur, mox vero omnibus et Thebanis et Trojanis heroibus μακάρων νῆσοι a Saturno rege administratae conceduntur.[3] Contra quidam homines insigniter scelesti primum in Orco (Odys. 11, 565 sq.), deinde in Tartaro, qui antiquissimo tempore non nisi Titanum carcer habebatur, poenas crudelissimas luere dicuntur (Plato Phaedo p. 113 E; Gorg. p. 526 B coll. Rep. X, 615 B). Cum igitur ita magis magisque opinio percrebruisset, post vitam animas vel poenis vel praemiis affectum iri, fieri non potuit, quin homines, quomodo illas effugere, haec adipisci possent, anxie quaererent. Quemadmodum autem veteres Indi, postquam inde ab heroicis suis temporibus fere eosdem quos Graeci religionis gradus percurrerunt, ex nova pantheistica doctrina de Brahma in animarum migrationem inciderunt,[4] sic etiam Graeci, postquam Jovem totius mundi animam esse intellexerunt, facile eo progredi potuerunt, ut sicuti omnes res

[1] Nägelsbach, *Hom. Theol. p.* 380, 397.

[2] Cf. gnomologiam in Odysseae libris postremis conspicuam (Bernhardy *l. c. p.* 146, 181).

[3] *Hes.* 'Ε. κ. 'Η. *v.* 169, cf. *Pind. Ol. II,* 127 *sq.* et vetus illud Callistrati scolium (*Athen. XIV,* 695 *B*):

Φίλταθ' 'Αρμόδι', οὔ τί που τέθνηκας·
νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι,
ἵνα περ ποδώκης 'Αχιλεύς,
Τυδεΐδην τέ φασιν ἐσθλὸν Διομήδεα.

In duabus Odysseae νεκυίαις harum insularum nulla fit mentio, sed omnes, qui ante Trojam pugnaverant, adhuc finguntur una cum ceteris animabus in Orco esse. Quodsi locum *Odys.* 11, 565—627 eximas, qui apertius serioris originis quaedam indicia praebeat, nescio, an non νέκυιαι non solum Hesiodi Operibus, sed etiam Protei vaticinio (*Odys.* 4, 554 *sq.*) antiquiores sint. Nequedum Erebus ad Tartarum, Cronidarum carcerem, aequiparatur (*Odys.* 11, 37, 564), sicuti fit in *Hesiodi Theog. v.* 669.

[4] Duncker, *Gesch. d. Alterth. II,* 73 *sq.*

ita animas quoque humanas semper nasci mori renasci dicerent.[1] Quod si credebant, iam non licuit, animabus post mortem aeternam quandam sedem sive beatam sive horrendam assignare, sed illae poenae et praemia quasi in itinere captanda erant. Sed interfuit inter Indos et Graecos, quod apud illos sacerdotes summam nacti dignitatem et potentiam novam suam religionem omnibus popularibus publice obtruderunt, hi vero in vetere deorum cultu magis sibi constantes sacerdotum ceterorumque Euthyphronum novas opiniones in ritus et loca arcana ablegarunt. Ita factum, ut in Graecia neque complures ordines sanctitate inter se diversi exsisterent neque funesta illa doctrina migrationis animarum omnes leges et instituta civitatum corrumperet. Cum igitur ii, qui nova dogmata amplexi erant, in populum ea spargere vellent, hoc non nisi ita facere potuerunt, ut et singulis ea persuaderent et ipsos omnes deos tralaticios colere simularent vel ne simularent quidem, quippe qui ipsi vix plane perspicerent, se deos patrios et veterem religionem conatibus suis esse abrogaturos. Inter omnes autem fabulas ad suas doctrinas significandas aptas nullam fortasse aptiorem reperiebant, quam quae de Proserpinae fatis erat. Duplicem enim in modum ea uti licuit. Primum iam apud Homerum

[1] Nonnulli mirati sunt, quomodo factum esset, ut Pythagorei ante alios Orphicas doctrinas amplecterentur. Aegre enim obscoena et tumultuosa Orphicorum Bacchica sacra cum illorum sancta et modesta vita et cultu Apollinis convenire. Sin sumas, Orphicos proprie non Zagrei, sed Cereris orgia celebrasse et Proserpinae potissimum fabulam secutos nonnulla de animae sorte praecepisse, non est, cur mireris, Pythagoreos vel Pythagoram ea non minus libenter atque Pindarum (*Ol. II,* 101 *sq.* cf. Gerhard, *l. c. N.* 8 et 110) accepisse. Pythagoras autem, qua erat πολυμαθίῃ, vel Pherecydes facile genuinas illas Graecorum doctrinas quodam Aegyptiaco colore fucare potuit. Cum autem apud ipsos Aegyptios doctrina de sorte animarum post mortem futura conjunctissima fuerit cum fabula de Osiridis h. e. Dionysi fatis, fieri vix potuit, quin haec quoque aliquando ab Orphicis poetis reciperetur et propter Dionysi vel Zagrei et Sabazii similitudinem tandem etiam Phrygia sacra admitterentur. Pythagoreos autem suae cum Orphicis consuetudinis poenituisse, postquam, quae ipsi sevissent, succrescere atque efflorescere viderint, non verisimile est. Ita Herodotus recte quidem dicere potuit (*II,* 123), eam quae tum ferebatur in Graecia animarum migrationis doctrinam Aegyptiis deberi, nec tamen putandum, Orphicos mentitos esse τούτῳ τῷ λόγῳ ὡς ἰδίῳ ἑαυτῶν ἐόντι χρησαμένους. Sicuti enim Indi et Aegypti, ita etiam Graeci suopte ingenio iam ante Zagreum invectum ad quandam immortalitatis animae doctrinam pervenire potuerunt.

Proserpina animas mortuorum agitat,[1] Tiresiae mortuo mentem praebet,[2] homines vivos ab Orco arcet.[3] Itaque iure ei postea et puniendi et praemiis afficiendi potestas concedi potuit. Sed cum eadem non minus Jovis et Cereris filia, a Plutone rapta et rursus ad lucem in aliquod tempus reversa putabatur, optime haec bella fabula in quandam allegoriam distorquenda videbatur, quasi Cora ipsius naturae modo florentis modo horrentis et animarum per vitam et mortem alternantium imago esset. Ita accidisse existimo, ut apud Graecos Proserpinae fabula cum novis vel philosophorum vel philosophantium mythologorum doctrinis de statu animarum post mortem futuro quam arctissime connexa sit. Id quod mihi non ex una tantum causa memoratu dignum videtur. Etenim illam fabulam non solum litteris et fando antiquitus traditam puto, sed etiam sacris quibusdam et ritibus, quibus dea et ejus mater pie colebantur et fortasse earum fata repraesentabantur absque ulla altioris sapientiae affectatione et simulatione. Cum autem post Hesiodum illa doctrina de beatorum insulis eo deducta esset, ut non iam heroes tantum, sed omnes iusti beatitudinem adipisci posse dicerentur, iusti autem ii haberentur, qui certis sacrificiis et precationibus deos observarent,[4] facile fieri potuit, ut homines eam deam, cui arbitrium de mortuis deferebatur, sibi clementem reddere cuperent.[5] Nonne autem iis, qui novas opiniones moliti erant, etiam prae ceteris facultas Proserpinae, quam carminibus celebrarent, suis ritibus placandae tribuenda fuit? Itaque poetas telestae,[6] carmina ritus quidam arcani secuti sunt, neque iusti dehinc i. e. sancta et integra vita defuncti, sed soli initiati beata post mortem sorte digni habebantur. Hinc nata puto illa privata mysteria et τελετάς, quorum administratores fortasse ab Eleusiniis[7] Cererem et Proserpinam (nescio an etiam Jacchum) et nonnullos ritus mutuos sumpserint, sed suae doctrinae lenociniis fucaverint et novis additamentis adulteraverint. Postquam autem magis magisque philosophorum decreta in Graecorum animos irrepserunt, haud incredibile videtur, etiam Eumolpidas a privatis mysteriis in Eleusinia sacra quaedam in vicem recepisse. Quamquam id minus facile fieri potuit, quia publici erant Cereris Liberaeque sacerdotes.[1] Privatorum autem telestarum non multum interfuit, si postea dearum magnarum et augustarum cultui admiscebantur Zagrei et Sabazii peregrinae et turbulentae caerimoniae. His igitur praemissis nunc videndum, utrum Hesiodus an Orpheus doctrinam de inferis et de Proserpinae potestate Homericae similiorem ideoque antiquiorem secutus sit. Dico autem, cum de Hesiodo loquor, non ejus scripta de miraculis, de astrologia, de herbis et quae similia sunt, sed Theogoniam et Opera. In Operibus igitur homines primae aetatis a Jove post mortem daemones redduntur;[2] secundum genus demens et impium postquam obiit,

τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται
δεύτεροι, ἀλλ' ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ.

Aëneum genus in semet ipsum saeviens tandem in Orcum descendit; heroes, viri quartae aetatis iustiores et meliores, ante Thebas et Trojam interemti in beatorum insulas iuxta Oceanum veniunt. Quintum denique genus, cujus nos sumus, miseram degit vitam absque ulla melioris status futuri spe.[3] In quibus omnibus non nisi daemones et beatorum insulas ab Homero discrepantes deprehendes. De Orco eadem stat sententia, quamvis poeta, qua est animi tristitia, facile adduci potuerit, ut iuris in terra contempti[4] poenam apud inferos

[1] *Odys.* 11, 386.
[2] *Ib. v.* 494.
[3] *Ib. v.* 634.
[4] *Plato Rep. I,* 330 *D sq.* Cf. Naegelsbach, *nachhomer. Theol. p.* 193 *sq.*; Schömann, *Griechische Alterthümer* (2. *Aufl. Berlin* 1861), *II,* 134 *sq.*
[5] Cf. *H. Hom. in Cer. v.* 366—369.
[6] Vel καθαρταί, cum nomen τελεστής novitium sit (*Agl. p.* 315).
[7] Hoc certe fieri potuisse, multa Cereris Eleusiniae ἀφιδρύματα etiam exteris transmissa (*Agl. p.* 274 *N. d*) satis ostendunt.

[1] *Agl. p.* 10 *sq.*; cf. tamen *p.* 72 *sq.*
[2] Ἐ. κ. Ἡ. *v.* 122, 252.
[3] *Ib. v.* 201: κακοῦ δ' οὐκ ἔσσεται ἀλκή.
[4] *Ib. v.* 191 *sq.* Proserpinae in toto carmine nulla fit mentio. Ceres ubique (*v.* 393, 597, 805) segetis dea habetur. Orgiorum, mysteriorum, magicarum artium ne nomina quidem occurrunt. Quae si nota habuisset poeta, quid putas, quam diligenter ea suo Persae commendavisset? Proculus narrat quidem (*ad. Opp. p.* 824), Ὀρνιθομαντείαν Diebus subjunctam fuisse, sed haec vel regulas continuit auspicandi iam Homero tritas vel recentiore aetate adjecta est ad calcem Dierum propter ultimum versum:

ὄρνιθας κρίνων καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων.

solvendam comminaretur. In Theogonia Proserpina Orco nupsisse traditur (v. 972 sq.), Ceres ex Jasio Plutum peperisse (v. 969, cf. Odys. 5, 125). Hîc igitur Πλοῦτος ita cum Cerere connectitur, ut ejus filius dicatur. Postea vero (cf. Preller, Mythol. I, 624 N. 2) Plutonis nomine indutus cum Orco, deo vitae et fertilitati inimicissimo, in unam coit personam. Quod cum mysteria ad Eleusiniorum typum instituta nonnisi mutatis veteribus opinionibus de Orci et Proserpinae dira et funesta natura[1] exsistere potuerint, nescio, quo iure Hesiodi temporibus ea obtrudi liceat.[2] Aliter autem rem se habuisse in Orphica Theogonia vehementer suspicor. Etsi enim in Rhapsodiis, quas solas Proculus secutus est, ii loci, quibus de Proserpina sermo est, valde turbati sunt, quoniam ex Hieronymi Theogonia vel ex Onomacriti Τελεταῖς ille Zagreus, Proserpinae filius ex Jove patre, quem supra e vetere Theogonia eradendum duximus, in illas receptus est, tamen mihi non dubium videtur, quin etiam in vetere Theogonia Proserpinae raptus narratus fuerit.[3] Neque nunc nostra interest, utrum haec dea virgo a Plutone ad inferos deducta sit, an antea vel Jovi vel Apollini[4] nupserit, sed sufficit scire, eam a scriptore hujus

---

[1] Hecate in Theogonia (*v.* 411 *sq.*) Corae fructiferae vice fungi videtur. Sed dubito, an haec Περσηΐς (*Theog. v.* 409, *Schol. Apoll. III,* 467; *Lycophr.* 1173) eadem non sit atque illa dea subterranea et tergemina Vergilii (*Aen. IV,* 511). Ipsa nonnunquam Cora videtur appellata esse (*Agl. p.* 543 *sq.*).

[2] Lobeckius (*Agl. p.* 270—317) egregie quidem defendit, Homero omnia mystica sacra ignota fuisse; in carminibus autem Hesiodeis prima eorum vestigia apparere (*p.* 312), minus feliciter videtur asseverare. Hoc enim eo tantum modo assecutus est, ut ex fragmentis Hesiodeis vel ex veterum scriptorum universe de Hesiodo dictis vel denique ex Pseudohesiodeis scriptis Delphicas Thyiades (*p.* 285 *N. a*), medicinam auguralem (*p.* 299), τελετῆς vocabulum (*p.* 304), solemnia lustralia (*p.* 309), Curetes et Satyros Bacchi et Cybelae (*p.* 310), templum Eleusinium appositumque ad custodiam draconem (*p.* 308) Hesiodo imputaret. In Theogonia et Operibus, vetustissimis carminibus, nihil harum rerum invenitur.

[3] *Agl. I p.* 543—547, *II p.* 818—834.

[4] Perobscura sunt, quae Proculus (*Agl. p.* 544) tradit: παρ' Ὀρφεῖ ἡ Δημήτηρ ἐγχειρίζουσα τῇ Κόρῃ τὴν βασιλείαν φησίν

Αὐτὰρ Ἀπόλλωνος θαλερὸν λέχος εἰσαναβᾶσα
τέξεαι ἀγλαὰ τέκνα πυριφλεγέθοντα προσώποις.

Num Cora Apollinis uxor fuit? Num propterea, quod Ἑκάτου coniux erat, ipsa Ἑκάτη dicta est (*Agl. ib.*)? Sed quam accepit a matre βασιλείαν Apollini nuptura? Ab Orco demum cum rapta esset, regina apud inferos facta est. Et quas denique filias

carminis non sicut ab Homero et Hesiodo descriptam esse horrendam mortuorum δέσποιναν, sed una cum Plutone deam μελίβοιαν et fertilitatis patronam. Quod si ita est, etiam Eleusinia sacra ei non ignota fuisse sequitur. Hoc autem dato secundum regulam modo propositam aetas ejus recentior Hesiodea aestimanda erit. Itaque Herodoti (II, 53) et Aristotelis[1] sententiae subscribendum puto existimantium Ἡσίοδον καὶ Ὅμηρον τοὺς ποιήσαντας θεογονίην Ἕλλησι fuisse τοὺς δὲ πρότερον ποιητὰς λεγομένους τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι (inter quos Orpheus habendus) ὕστερον γενέσθαι. Si igitur Hesiodus quadringentis annis ante Herodotum vixit, Orphica Theogonia post medium saeculum nonum scripta est. Cum autem propter simplicem ejus structuram et doctrinas exceptis primis pantheismi et mysticae superstitionis vestigiis non procul abhorrentes ab Homeri et Hesiodi theologia non verisimile sit, iam in ea omnia illa Orphica, quae postmodo dicta sunt, dogmata de aetatibus mundi, de saeculorum conversionibus, de migratione animarum, de microcosmo et macrocosmo prolixe[2] exposita fuisse, sed ea potius cum Lobeckio (Agl. II p. 810) in carmina, quae inscribebantur Κατάβασις εἰς ᾄδου, Τελεταί, Βακχικά, Φυσικά, Σωτήρια releganda videantur, fortasse in definienda aetate auctoris nostri non

---

Apollini enixa est? Musas fortasse, si verba Proculi ibidem apposita: ἡ Κόρη ... λέγεται κατὰ τὴν τῆς Περσεφόνης γόνιμον δύναμιν συνάπτεσθαι τῷ τρίτῳ δημιουργῷ καὶ τίκτειν, ὥς φησιν Ὀρφεύς

Ἐννέα θυγατέρας γλαυκώπιδας ἀνθεσιουργούς

de Apollinis et Persephonae coniugio intelligenda sint. Sed obstat, quod tertius demiurgus Pluto esse solet (*Agl. p.* 549 *N. b.*), Ceterum non iniucundum videtur, si Cora modo Soli modo Orco σκοτίῳ nupsisse dicebatur (cf. *Plut. De EI apud Delphos XXI:* λέγεται γὰρ ὁ μὲν Ἀπόλλων, ὁ δὲ Πλούτων· καὶ ὁ μὲν Δήλιος, ὁ δὲ Ἀϊδωνεύς· καὶ ὁ μὲν Φοῖβος, ὁ δὲ Σκότιος· καὶ .... ὁ μὲν Θεώριος καὶ Φαναῖος, ὁ δὲ Νυκτὸς ἀϊδνᾶς ἀεργηλοῖό τε Ὕπνου κοίρανος κτλ.). Sin Cora in vetere Theogonia et Apollinis et Plutonis uxor erat, nullo modo etiam Zagreum Jovi parere potuit. Eo enim impudentiae scriptorem Theogoniae processisse, ut praeter duos maritos etiam patrem incestum finxerit, vix credibile est. Itaque sic quoque Zagreus exterminandus videtur ex Theogonia.

[1] Cf. quae supra exposui.

[2] Mundi aetates et animarum migrantium praemia et labores non nego iam in Theogonia commemorata esse. Sed ipsa carminis theogonici strictior forma et pressior decursus videtur vetare, quominus ejusmodi longi excursus, quales in Hesiodi Operibus insunt, inserantur perpetuae narrationi.

ultra finem saeculi septimi vagari licebit. Namque nonnulla illorum scriptorum vel ad Pisistratidarum vel Solonis tempora prope accedere, mihi persuasum est.[1] Quodsi recte computo, noster quoque illis duobus saeculis octavo et septimo vixit, quibus Abaris, Aristeas, Onomacritus Locrensis, Epimenides, Musaeus, Eumolpus aliique vixisse dicuntur. Hujus autem spatii rursus contrahendi et aetatis Orphei certis annis circumscribendae paene nulla relinquitur ansa. In conjectura igitur posita sunto, quae etiam additurus sum. Primum subit, ceteras theogonias cum Orphica contendere. Et Pherecydes quidem, Thaletis aequalis, multa mihi videtur habere, quae recentioris originis suspicionem moveant. Postquam enim supra vidimus, in vetere Orphica Theogonia eos deos, qui in Rhapsopiis ab initio positi essent, Chronum videlicet et Chaos et Aetherem et Phanetem plane defuisse et eorum loco Noctem, Coelum Terramque ceteros deos progenuisse, totum autem decursum carminis ab Hesiodi Genealogiis non multum discrepuisse et ipsos deos non alios fuisse atque populares et legitimos, — mirum esset, si Pherecydea Jovis et Chroni et Terrae trias, si ejus tria elementa, si Jupiter in Amorem conversus, si quinque μυχοί et ὑπόπτερος δρῦς καὶ τὸ ἐπ' αὐτῇ πεποικιλμένον φᾶρος, si denique Ophioneus ante Orphei simplices fabulas conficta essent. Deinde Aristoteles[2] veteribus poetis mere mythographicis dissertis verbis eos opponit, qui iam philosophiam suis mythis admiscuerint et ab optimo initium genealogizandi ceperint. Hinc hos, inter quos Pherecydes est, illis h. e. Homero, Hesiodo, Orpheo recentiores videtur habere. Epimenidem autem propterea Orphei aetatem non aequare puto, quia Orpheus unum tantum, Epimenides duo habet principia, id quod novitatis indicium est. Praeterea etiam Ovum mundanum et Αἰών, quo Epimenidem similiter atque Orphicos Phanete usum esse Lydus narrat,[3] cum Rhapsodiarum doctrinis quidem, nec tamen eodem iure cum veteris Theogoniae lineamentis, quae supra adumbravimus, conferri possunt. Postremo Acusilaus Cabi-

[1] Cf. Gerhard, *l. c. p.* 18 et *N.* 8, 110 *sq.*
[2] *Met. XIV*, 4, *p.* 1091 *b* 4 *sq.*
[3] Cf. Zoega, *l. c. p.* 190.

rorum ortum enarrans[1] fortasse longius se prospexisse testatur quam Orpheum, qui non nisi Eleusiniorum mysteriorum notitiam habuerit. His igitur sumptis ne ita quidem stricta necessitate ultra annum sexcentesimum repellimur, cum Pherecydes ineunte saeculo sexto vixerit; quoniam autem non verisimile est, inde ab Hesiodo usque ad Pherecydem hominum opiniones de deorum et mundi primordiis semper sibi constitisse, imo probabilis est conjectura, istis saeculis omnium morum, artium, sacrorum conversione vel claris vel famosis etiam Hesiodi theologiam non illibatam relictam esse, fortasse licet, duo theogoniarum genera post Hesiodum sese excipientium distinguere, alterum prope ad Hesiodi genealogias accedens, alterum his magis alienum et vel nascentis philosophiae impulsu vel peregrinarum religionum contagione iam Pherecydis inventis similius redditum. Quorum generum illi potius quam huic carmen nostrum adscripserim, cum iam supra satis apparuerit, quanta ejus et Hesiodeae Theogoniae esset similitudo. Itaque maiore iure octavo quam septimo saeculo vindicandus videtur Orpheus. Nec desunt ea aetate poetae, quorum sodalis dici possit. Recordanti enim, etiam in Orphica Theogonia quaedam de deabus Eleusiniis narrata esse in mentem venit et Homericus Hymnus in Cererem et Eumolpi[2], Musaei, Pamphi carmina mystica. Sed eorum scriptorum tempora et rationes accurate definire vix unquam continget. In Hymno in Cererem (v. 265 sq.) bellum Eleusiniorum contra Athenienses fere triginta annis post templum Cereris conditum ponitur. Sed hoc inutile

[1] *Strabo X*, 3, 21 *p.* 472, cf. *Agl. p.* 1209 *sq.*
[2] *Suidas s. v.* Εὔμολπος, Ἐλευσίνιος, ἤτοι Ἀθηναῖος, υἱὸς Μουσαίου τοῦ ποιητοῦ . . . . οὗτος ἔγραψε τελετὰς Δήμητρος καὶ τὴν εἰς Κελεὸν ἄφιξιν καὶ τὴν τῶν μυστηρίων παράδοσιν τὴν ταῖς θυγατράσιν αὐτοῦ γενομένην, ἔπη τὰ πάντα τρισχίλια. Vix puto iure Bernhardyum (*ed. Suid. l. c.* adnot. et *Gr. Litt., II p.* 336) totam hanc narrationem ex Musaei (*Pausan. X*, 5. 3) Εὐμολπίᾳ deflexam dicere. Pausaniae loco nullo verbo Cereris sacrorum mentio fit, sed de Delphis potius quam de Eleusine sermo est. Cur autem carmen Μουσαίου εὐμολπία (Hesych. εὐμολπία· εὐφωνία, εὐυμνία) inscriptum necessario cum Eumolpo cohaerere debet? Quod si ita esset, nonne Εὐμόλπια pro Εὐμολπία scribendum esset sicut Κύπρια, Ναυπάκτια? Ceterum Musaei, Eumolpi, Pamphi nomina ficta esse, facile concedo, modo ne carmina ipsa pseudonyma illis temporibus scripta esse infitieris.

est, cum nemo dicere possit, quo tempore Eumolpus contra Erechtheum bellum gesserit. Certe multo ante saeculum octavum id factum est. Quis autem ex Pausaniae aliorumve scriptorum locis, ubi Pamphus ante Orpheum nominatur (Paus. IX, 27, 2) vel Musaeus Eumolpi nunc pater nunc filius appellatur,[1] Orphei vero et filius et discipulus[2] perhibetur, quis, inquam, ex ejusmodi commenticiis narrationibus eruere poterit, quo ordine illi poetae alius alium secuti sint? Itaque missis istis frigidis periegetarum fabulis videndum, numquid fieri possit, ut ex argumento illorum librornm aliquid de eorum successione statuatur. At ne sic quidem multum proficiemus. Pauca enim sunt, quae de Pamphi et Musaei, nedum Eumolpi scriptis ad Eleusinia spectantibus comperta habemus; rara fragmenta eademque misere per Zagreum subditum adulterata, quae ad nos ex vetere Theogonia Orphica pervenerunt. Primum iam hoc incertum est, utrum longa illa narratio de Cereris erroribus et Baubus ludibriis pars Theogoniae fuerit, an peculiare quoddam carmen Δήμητρος πλάναι vel Μῆνις Δήμητρος inscriptum.[3] Sed fortasse nihilominus ea relatione uti licet, quia certe nomina et lineamenta fabulae non diversa fuisse verisimile est apud duos scriptores ambos Orphei nomen ementitos. Omisso igitur Jovis et Proserpinae incestu, ex quo Zagreus nascitur, fere hunc in modum vetus Orpheus Cereris et Proserpinae fata videtur narravisse. Ceres ex Jove enititur duas filias, Coram vel Proserpinam et Hecaten[4] vel Selenen vel Dianam. Illa cum textrina sua relicta ad Oceanum flores legeret, a Plutone rapta est, quamvis a Corybantibus custodiretur. Mater filiam anxie quaerens tandem defessa ad fontem consedit prope Eleusinem, ubi tum pastores greges pascebant. Erant autem viri γηγενεῖς h. e. autochthones agrestes et

[2] Cf. Gerhard, *l. c. p.* 59 *N.* 78.

[3] *Ib.* et *Agl. p.* 439, 454.

[1] *Agl. p.* 827, cf. *p.* 591.

[2] *Agl. p.* 545. Tertiam sororem Dianam, ab Hecate diversam, fuisse, ex locis a Lobeckio allatis non liquet. Imo Hecate, quae etiam in Homerico Hymno in Cererem amica est Proserpinae et matrem ejus adiuvat, ipsa est Luna (*h. in Cer. v.* 24 *sq.*, ubi Soli opponitur; *v.* 52: Ἑκάτη, σέλας ἐν χείρεσσιν ἔχουσα; *v.* 440: ἐκ τοῦ οἱ [scil. Proserpinae] πρόπολος καὶ ὀπάων ἔπλετ' ἄνασσα) h. e. Bendis illa vel Artemis (cf. Preller, *Myth. I,* 246) a sorore Apollinis diversa.

inculti, quibus nomina fuere Δυσαύλου, Τριπτολέμου, Εὐβουλέως. Uxor Dysaulis videtur fuisse Βαυβώ,[1] filius Triptolemus. Praeterea fortasse etiam filiae iis erant (Harpocratio p. 90: Δυσαύλην — συνοικήσαντα Βαβοῖ σχεῖν παῖδας Πρωτονόην καὶ Νίσαν) necnon infans τηλύγετος (cf. H. Hom. in Cer. v. 164 sq.), cui nomen erat Ἰάκχῳ.[2] Ceres igitur, fortasse a

[1] Baubo et Dysaules apud Clementem Al. (*Protrept. II,* 20 *p.* 17 *Pott.*), cui maxime debemus hanc narrationem, primum cum Triptolemo conjunguntur (Βαυβὼ καὶ Δυσαύλης καὶ Τριπτόλεμος), deinde ceteris duobus opponuntur (ἔτι δὲ Εὔμολπός τε καὶ Εὔβουλεύς). Celeus ne nominatur quidem. Porro nonnisi Triptolemus, Eumolpus, Eubuleus pastores dicuntur. Id quod ita intelligo, ut Dysaulem, patrem Triptolemi, propter senectutem filio gregem pascendum commisisse suspicer, cf. Harpocrationis narrationem (*p.* 90, *Agl. p.* 823): Ἀσκληπιάδης τὸν Δυσαύλην αὐτόχθονα εἶναί φησι, συνοικήσαντα δὲ Βαυβοῖ σχεῖν παῖδας Πρωτονόην καὶ Νίσαν; *Pausanias I,* 14, 2: ἔπη ᾄδεται Ὀρφέως — Εὐβουλεῖ καὶ Τριπτολέμῳ Δυσαύλην πατέρα εἶναι, μηνύσασι δέ σφισι περὶ τῆς παιδὸς δοθῆναι παρὰ τῆς Δήμητρος σπεῖραι τοὺς καρπούς. Item Phliasii dixerunt, mysteria Eleusinia a Dysaule instituta esse (*Pausan. II,* 14. 2). Itaque ea, quae Gregorius Naz. (*Agl. p.* 823 *sq.*) aliique de Cereris cum uno ex hospitibus concubitu narrant, de Dysaule potius quam de Celeo, sicut Schol. ad Aristid. p. 22 vult, intelligenda videntur. Ipse Lobeckius (*Agl. p.* 825 *N. k*) Cereris et Dysaulis filium agnoscit.

[2] *Clem. Alex. l. c.* et *Euseb. Praep. Ev. II,* 3. 34 unanimiter Orphei versus ita tradunt: παῖς δ' ἦεν Ἴακχος Χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις. Lactens igitur infans (vel puer, nam interdum mulieres agrestes amplius triennium liberos uberibus alunt) ibi Jacchus dicitur (cf. quae Lobeckius *Agl. p.* 822 *sq.* de Jaccho ὑποκολπίῳ affert), non Dionysus. Nec dubito, quin is verus hujus mystici daemonis sensus fuerit. In antiquissimis enim de Eleusiniis testimoniis nulla fit Dionysi mentio. Quamvis enim in Hymno *Hom. in Cer. v.* 386 maenadis vocabulum occurrat, tamen inde non concludendum, illa ὄργια, quae Ceres condiderit (*v.* 273, 476), sacra esse Bacchica, cum potius Aristophanis sint ὄργια σεμνὰ θεαῖν (*Thesmoph. v.* 948, cf. *Herod. II,* 51; *V,* 61). Jacchum eundem poetam a Dionyso distinguere (*Ran. v.* 316 *sq.*), rectissime Lobeckius videtur observasse *Agl. p.* 821 *N. e.* Neque Pamphus Jacchi Dionysiaci mentionem fecit (Welcker, *Griech. Götterlehre, II,* 550) et Musaeum aliqua de Bacchi mystico cultu dixisse iure negat Gerhardus, *Orph. p.* 59 *N.* 78. Primus Sophocles (*Antig. v.* 1120) hunc deum conjunctim cum Cerere in Eleusiniis mysteriis cultum fuisse significat. Nec mirum, si Jacchus, quem proprie sicut Triptolemum, Metaniram, Cecropis tres filias (cf. Preller, *Gr. Myth. I,* 159) aliosque hominem fabulosum fuisse et postmodo divino honore dignum habitum esse suspicor, in Bacchi mystici h. e. Zagrei numen abiit. Nam cum Onomacriti temporibus percrebuissent Magnae Matris sacra, cui πάρεδρος erat Dionysus, propter illius et Cereris similitudinem etiam in Cereris mysteria facile hic deus irrepere potuit. Tum vero paene necesse fuit, ut in locum Jacchi, veteris alumni Cereris, succederet. Quod si factum erat, etiam turpiculae illae narrationes de Baubus et Jacchi ludibriis mutandae videbantur. Cujus mutationis exemplum in textu mox appositurus sum. Hinc igitur Arnobii discrepantem a Clementina narrationem ortam puto (*Agl. p.* 820 *sq.*).

Dysaulis filiabus invitata, Baubus tecta subit et ab antiquis hominibus hospitio accipitur. Baubo cinnum oggerit, sed dea tristis et moesta aversatur et respuit. Tum illa, qua erat rusticitate, cum puero suo obscoene iocata tandem eam exhilarat et poculum ei obtrudit. Mox pastores, Triptolemus et Eubuleus, nuntiant, quae de rapta Proserpina vel compererant vel ipsi conspexerant, postquam iam ab Jove Hecate[1] sub terram ad investigandam sororem missa est (Agl. p. 545). Accepti nuntii gratia Ceres illos agriculturam docet. Haec igitur si quis perlustraverit, fortasse narrationem in Hymno Homerico propositam minus antiquam videri censebit. Etenim meo quidem iudicio quidam nativus color et quasi robigo Orphei relationi inhaeret, quae ab illius carminis auctore prorsus abstersa est. Orpheus Eleusinium agrum a paucis pastoribus incultis et agriculturae ignaris habitatum putat, Homerus (H. in Cer. v. 96 sq., 150 sq.) oppidum munitum, populum, principes novit; ille Dysaulen et Baubo rusticos depingit homunciones eorumque casam pauperculam et cultioris vitae supellectile destitutam, hic domum Celei excelsam et regali apparatu instructam, Metaniram autem magis Aretae vel Penelopae quam agresti mulierculae similem inducit; ille Jacchum puerum vocat parvulum, hic verecundia scilicet adductus, quoniam deum eum habet, petulantes ejus iocos reticet; ille Baubo suam ipsam facetias agentem fingit neque indignatur eas, sed spurcissimis verbis aperte enarrat, hic ancillam procacem in locum herae substituit et quid fecerit nullo verbo indicat; postremo ille Cererem tam agrestem deam putat, ut eam corporis sui usum hospiti facere non pudeat, hic vero omni modo deae σεμνότητα praedicat significatque.[2] Sin totius fabulae ipsorumque Eleusiniorum mysteriorum vis atque nervus in eo

[1] Apollo et Artemis h. e. Ἕκατος et Ἑκάτη Coram Bacchumque prosequentes etiam in nonnullis antiquis vasis picti occurrunt, cf. Gerhard, *Ueber die Anthesterien* (*aus den Abh. d. k. Ak. d. Wiss. zu Berlin* 1858), *Tab. II*, 2, 3; *III*, 1, 2; *IV*, 1.

[2] Preller (*Dem. u. Perseph. p.* 48) Orpheum Graecorum mythos ab Homero et Hesiodo sincere traditos penitus corrupisse dicit eosque unica illa simplicitate, veritate et quasi innocentia destituisse. Sed videtur vir de Graeca mythologia egregie meritus ita iudicasse, quod Lobeckium secutus solos Onomacriti ejusque aequalium libros Orphicos in mente habuit. Vetus enim Theogonia vacat ejusmodi vitiis.

positus est, quod iis agriculturae vitam venatoriam vel pastoralem sequentis primordia celebrabantur, nonne Orpheus verum narrationis tenorem servavit Cererem tradens pastores artem frumenta serendi docuisse, Homerus vero perverse egit, cum deam errantem in agros cultos pervenisse ibique civibus sua munera dedisse fingebat? Et fortasse haec quoque causa fuit, cur Ceres in Hymno pro agricultura orgia condidisse diceretur, quibus initiatus quisque beatam sortem adepturus esset.[1] Equidem suspicor, ex Orphei sententia Eleusine nonnisi sacra Cereris et quosdam solemnes ludos instituta esse, nec tam multa credo vocabula[2] ad artes magicas et lustrationes spectantia in Orphicae Theogoniae simplici narratione occurrisse. Quisquis igitur ejus modi argumentis ab indole librorum petitis aliquid momenti absque certis testimoniis concedit, is me non temerarium ducet, si Homericum Hymnum in Cererem post Orphicum carmen nostrum scriptum esse conjecero. Cum autem ille hymnus ipse non multum ab Hesiodi aetate distare videatur,[3] concludendum, Orphicam Theogoniam ante medium saeculum octavum prima fere Olympiade scriptam esse. Id quod eo confirmatur, quod etiam Pamphi[4] Hymni post eam videntur compositi esse. Ex iis enim, quae Pausanias I, 38. 3 et 39. 1 narrat, manifestum est, illum quoque veterem fabulam de Baubo respuisse et similiter atque Homerici hymni auctorem[5] Cereris adventum et Eleusine mansionem descripsisse.

[1] *H. in Cer. v.* 476 *sq.*

[2] Ὄργια *ib.* 273, 476; εὐαγέως *v.* 274, 369; ἀτελής *v.* 481; artes magicae *v.* 228 *sq.*, 239 *sq.*

[3] Cf. *Hes. Scut. Herc.* ex recognit. et c. animadv. *Fr. A. Wolfii ed. F. Ranke* (*Quedlinb.* 1840), *p.* 360—62.

[4] De Musaei Hymno in Cererem (*Paus. I*, 22. 7) aliisque carminibus ad Eleusinia spectantibus (Passow, *Musaeus* [*Leipzig* 1810], *p.* 17 *sq.*, 55) paene nihil traditum est, ut aliquid de iis addere supersedeamus. Idem de Eumolpo dicendum.

[5] Primum ipse Pausanias nomina Homeri et Pamphi conjungit. Deinde etiam Pamphus habet nomina Celei et Metanirae Orpheo ignota. Pausanias praeterea in suo Homerici Hymni exemplo eadem nomina filiarum Celei legit, quae apud Pamphum exstabant Diogenia, Pammerope, Saesara. In nostris editionibus (*v.* 109) quatuor alia leguntur. Neque hoc solum mutatae lectionis vestigium est. Nam *I*, 38. 2 Pausanias Homerum in carmine suo Eumolpum ἀγήνορα vocare dicit, quod epitheton nunc desideratur. Quominus autem Pausaniam ad aliud Homericum carmen spectare putemus, obstat, quod *II*, 14. 2 nostri hymni versus 474—476 ad verbum citat.

Cum autem Pamphus in Attica vixerit (Paus. IX, 29, 3: Ἀθηναίοις τῶν ὕμνων ἐποίησε τοὺς ἀρχαιοτάτους, cf. VII, 21, 3) nec veridissimile sit, illum quoque hymnum in Cererem quondam in collectione Atticorum hymnorum receptum fuisse,[1] fortasse etiam Orphicae Theogoniae scriptor inter horum antiquissimorum Atticorum poetarum recensendus est numerum. Nomen vero Orphei cur sibi asciverit, nescio. Sed illis temporibus non inusitatum videtur fuisse, ut recentes poetae vel veterrimorum vatum nominibus sua ornarent carmina vel illorum artem et egregie facta laudibus celebrarent.[2] Quot enim carmina sub Homeri, quot sub Hesiodi nomine edita sunt! Cum igitur veteris Orphei fama iam dudum per Graeciam percrebruisset, facile fieri potuit, ut poeta in morem Hesiodi Theogoniam conditurus et eas praesertim deas, quae Eleusine colebantur, pie observaturus illius nomine quasi symbolo uteretur. Quis enim melius de Proserpina et rebus inferis referre potuit, quam ille vates, qui in Orcum descendens cantu mulsit rigidam deae mentem?

Itaque Orphica Theogonia quasi in limine illius aevi obscuri quidem sed summa admiratione digni videtur posita esse, quo Graeci priscos majorum mores et religionem mutaverunt et ad novas artes, disciplinas, superstitiones delati sunt. Non inutile igitur duxi, ejus indolem atque originem denuo examinare.

[1] Cf. Preller, *Dem. u. Pers.* 66.

[2] Fortasse Pherecydes Atheniensis in Attica sua archaeologia Αὐτόχθονες inscripta de hoc Orpheo mentionem fecerat, cf. Suidas *s. v.* Φερεκύδης· Φερεκύδης Ἀθηναῖος πρεσβύτερος τοῦ Συρίου (? Sturz, *fragm. Pherec. p.* 62), ὃν λόγος τὰ Ὀρφέως συναγαγεῖν. ἔγραψεν Αὐτόχθονας. ἔστι δὲ τῆς Ἀττικῆς ἀρχαιολογίας ἐν βιβλίοις δέκα. Quamquam nonnulli viri docti ibi pro Pherecydis nomine Pherecratem reponendum esse censuerunt (Sturz, *l. c. p.* 69).

[3] Cujusmodi carmen fuit Hesiodi Μελαμποδία.

Epimetrum de Hellanici Theogonia.

Iis, quae de vetere Orphica Theogonia disputavi, pauca addere libet de Hellanici et de rhapsodica Theogonia. Primum igitur de illius argumento et origine quaerendum est. Qua in re ita disceptationem instituam, ut primum enarrem, qui fuerit ejus progressus et indoles, deinde ad ejus auctorem vel certe aetatem et quasi patriam pervestigandam pergam.

Jam ante[1] dictum est, etiam Athenagoram Hieronymi Theogoniam in examinandis Orphicis doctrinis sequi. Et si quis Athenagorae et Damascii locos ibi appositos perpenderit, fortasse Damascium Athenagorae verbis usum esse suspicabitur.[2] Ut ut hoc est, certe Athenagorae narrationem magis idoneam esse arbitror, quam nunc sequamur, cum et longior sit et simplicior Damascii farragine omnia ad triades suas revocantis. Hieronymus igitur (Athenag. c. 18 p. 18 A) ita genealogias suas videtur adornavisse. Primum aqua erat, ex qua mox limus coaluit. Duo igitur habuit principia neque ex Damascii

[1] §. 6.

[2] Athenagoras: Ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν (scil. Ὀρφέα) τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη, ἐκ δὲ ἑκατέρων ἐγεννήθη ζῶον δράκων πρὸςπεφυκυῖαν ἔχον κεφαλὴν λέοντος (καὶ ἄλλην ταύρου), διὰ μέσου δὲ αὐτῶν θεοῦ πρόςωπον, ὄνομα Ἡρακλῆς καὶ Χρόνος. Damascius: Τὴν τρίτην ἀρχὴν μετὰ τὰς δύο γεννηθῆναι μὲν ἐκ τούτων, ὕδατος φημὶ καὶ γῆς (h. e. ὕλη vel ἰλὺς) ἐξ ἧς ἐπάγη ἡ γῆ (Damascius temere mutat Orphei sententiam. Illa enim ἰλὺς neque γῆ est, quae ex dimidia Ovi mundani testa facta est, neque Γῆ dea, quae Phanetis filia videtur fuisse), δράκοντα δὲ εἶναι κεφαλὰς ἔχοντα προςπεφυκυίας ταύρου καὶ λέοντος, ἐν μέσῳ δὲ θεοῦ πρόςωπον, ἔχειν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων πτερά, ὠνομάσθαι δὲ χρόνον ἀγήρατον καὶ Ἡρακλῆα τὸν αὐτόν. Nonnulla Damascius vel mutavit vel addidit ex alio libro, sed multa ita ad verbum congruunt, ut mirum esset, si casu duo scriptores eandem rem iisdem fere verbis narravissent.

verbis: Δύο ταύτας ἀρχὰς ὑποτιθέμενος πρῶτον, ὕδωρ καὶ γῆν, τὴν δὲ μίαν πρὸ τῶν δυοῖν ἄῤῥητον ἀφίησι colligendum eum obscuris quibusdam verbis aliquod numen significasse, quod iam ante aquam fuerit. Damascio enim, qui saepe ex uno tantum nomine triadem enucleet,[1] aquae et limo una addenda fuit ἀρχή, ut prima trias compleretur.[2] Ex aqua autem et limo animal nascitur serpentinum et tribus capitibus leonino, divino (h. e. humano), taurino accinctum et alatum,[3] cui nomen est Herculi vel Chrono. Quocum conjunctam fuisse Ἀνάγκην, quae eadem sit atque Ἀδράστεια, Damascius addit.[4] Porro ex Athenagorae relatione iste Hercules Ovum mundanum gignit et fovet,[5] ex quo tandem Phanes erumpit. Testae ruptae dimidia alterum coelum alterum terra fit. Quibuscum tamen pugnare videntur, quae Damascius de Herculis prole tradit. Postquam enim in primam triadem aquam, limum, Herculem redegit, alteram ita constituere studet, ut Hieronymum pariter atque Rhapsodias triplicem Herculis prolem habere dicat Aetherem vide-

---

[1] Veluti ex Phanete, cf. *Quaest. p.* 380: Τὴν δὲ τρίτην (sc. τριάδα) τὸν Μῆτιν, τὸν Ἠρικεπαῖον ὡς δύναμιν, τὸν Φάνητα αὐτὸν ὡς πατέρα.

[2] Cf. verba mox sequentia: Καὶ ὑπολαμβάνω τὴν ἐν ταῖς Ῥαψῳδίαις θεολογίαν ἀφεῖσαν τὰς δύο πρώτας ἀρχὰς μετὰ τῆς μιᾶς πρὸ τῶν δυοῖν τῆς σιγῆς (*Agl. p.* 485: τῆς τῇ σιγῇ) παραδοθείσης κτλ.

[3] Ita Damascius, qui Chroni nomini etiam epitheton ἀγήρατος addit.

[4] Damascius Hieronymum primam triadem non ita complere dicit, ut ante aquam et limum commune utrique principium sicut alii theologi ponat, sed ita ut tertiam ἀρχὴν post illos constituat, nempe Herculem illum. Quam quidem ἀρχὴν masculofemineam esse, cum Ἀνάγκη cum Hercule simul exsistat. Ipse igitur Hercules non est ἀρσενόθηλυς, sed principium, quod ille una cum Necessitate explet.

[5] In Rhapsodiis, quae fortasse ea in re ab Hieronymi relatione non discrepabant, haec ita describuntur (*Damasc. l. c. p.* 380): Εἰς δὲ τὴν δευτέραν (scil. τριάδα) τελεῖν ἤτοι τὸ κυούμενον καὶ τὸ κύον ᾠὸν τὸν θεόν, ἢ τὸν ἀργῆτα χιτῶνα, ἢ τὴν νεφέλην, ὅτι ἐκ τούτων ἐκθρώσκει ὁ Φάνης. Ad quae Lobeckius (*Agl. p.* 484): „Intelligas Orpheum extremum illud, quod cuncta complexu suo coerceret, modo νεφέλην modo ἀργῆτα χιτῶνα appellasse eadem metaphora usum, qua Leucippus et Democritus χιτῶνα κύκλῳ καὶ ὑμένα περιτείνουσι τῷ κόσμῳ." Ipsum Orphei versum laudat idem Damascius *p.* 147 (cf. *Agl. p.* 475):

— — ἔπειτα δ' ἔτευξε μέγας Χρόνος αἰθέρι δίῳ
ᾠεὸν ἀργύφεον —.

Equidem haesito in illo vocabulo νεφέλην. Quid enim nubi cum ovo? Scribendum igitur puto κελύφην h. e. testam, id quod Damascius verborum τὸν ἀργῆτα χιτῶνα explicandorum causa addere potuit.

licet et Chaos et Erebum.[1] Cum autem idem Damascius non neget, Chronum etiam Ovum genuisse ἐν τούτοις h. e. in nido quodammodo ex humido Aethere (αἰθὴρ οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ νοτερός) et Chao et Erebo formato, non est, cur Athenagoram, qui nonnisi deos apud Orpheum ex corpore quodam oriri demonstrare voluerit, tria illa elementa neglexisse infitiemur. Quamquam ne unum quidem vestigium hujus alterius Chroni partus remansisse in ejus apologia, non ausim affirmare. Paulo post enim illi Orphici versus iam supra p. 41 exscripti occurrunt, quorum primus ex vulgata lectione ita scribitur: Ἂν δὲ Φάνης ἄλλην γενεὴν τεχνώσατο δεινήν. Lobeckius[2] Noctem, Phanetis filiam, ibi intelligit. Quem autem antea partum Phanes ediderit, ipse se nescire concedit. Quid igitur, si illo versu non de Phanetis prole, sed de Chroni quadam progenie post Phanetem edita sermonem esse sumamus? Pro ἂν iam dudum suspecto fortasse σὺν reponendum, id quod cum nonnullorum codicum lectione τὸν δὲ κτλ. non male congruit. Pro Φάνητ' dativo apocopa mutilato propterea fortasse nominativus a quopiam librario positus est, quod verba Athenagorae laudatos versus sequentia: ἢ αὐτὸν[3] τὸν Φάνητα δέξαιτο κτλ. indicare videbantur, etiam antea de Phanete nec tamen ipso, sed de ejus prole cogitandum esse. Emendato igitur illo versu in hunc modum: σὺν δὲ Φάνητ' ἄλλην γενεὴν τεχνώσατο δεινήν Chronus post Phanetem portentosam filiam vel potius prolem genuisse dicitur. At quaenam haec fuit? Nox, opinor, vel Erebus. Nonne enim cum Phanete, lucis largitore, optime Tenebrae copulandae videbantur? Neque obstat, quod Damascius Erebum cum Aethere et Chao conjungit, quae Chronus ante Phanetem procreaverit. Sicuti enim ad triades suas conficiendas modo Ἀνάγκην cum Chrono

---

[1] Ἀμέλει καὶ κατὰ ταύτην (scil. Hieronymi Theogoniam in hac re non diversam ab Rhapsodiis) ὁ χρόνος οὗτος ὁ δράκων γεννᾷ τὴν τριπλῆν γονὴν (ita Lobeckius emendavit pro γεννᾶται, τριπλήγονην) αἰθέρα φησὶ νοερὸν (Lob. φημὶ νοτερὸν) καὶ χάος ἄπειρον, καὶ τρίτον ἐπὶ τούτοις Ἔρεβος ὀμιχλῶδες .... ἀλλὰ μὴν ἐν τούτοις, ὡς λέγει (scil. Hieronymus?), ὁ χρόνος ᾠὸν ἐγέννησεν, τοῦ χρόνου ποιοῦσα γέννημα καὶ αὕτη ἡ παράδοσις (scil. Hellanici vel Hieronymi relatio), καὶ ἐν τούτοις τικτόμενον, ὅτι καὶ ἀπὸ τούτων ἡ τρίτη πρόεισι νοητὴ τριάς.

[2] *Agl. p.* 493.

[3] Ita scribit Otto in ed. sua *c.* 20 *p.* 20 *B.* Lobeckius (*Agl. p.* 493) haec verba ad sensum intelligendum commodius quam accuratius exhibet.

in unam compellit ἀρχήν, modo Ovum vel Phanetem in terna principia divellit,[1] etiam Erebum post Phanetem genitum ad Aetherem et Chaos revocare potuit, ut trias integra exsisteret. Equidem Hieronymum non tam triades, quam syzygias ex vetere more theogoniarum instituisse suspicor. Exoritur enim quaedam contrarietatum series haud iniucunda, si ejus genealogias hoc ordine processisse ponas: Primum erat Aqua et Limus, deinde Tempus et Modus spatia potissimum finiens,[2] porro Aether madidus et Chaos magis ex aridis elementis constans. Quae ubi in Ovi figuram coaluerunt, rupta testa coelum superne terra inferne constituuntur, ex Ovi autem quasi visceribus prorumpit Phanes vel Lux et Nox vel Erebus. Sed abhorruit ejusmodi opinio, qua Coelus et Terra testae partes putabantur, vehementer a vulgaris mythologiae praeceptis. Quapropter factum arbitror, ut praeter naturalem terram et coelum etiam dii cognomines fingerentur et Phanetis et Noctis, deorum tum novissimorum, liberi nuncuparentur. Quo facto iam in veteres Hesiodi aliorumque theologorum semitas deflectere licuit, nisi quod Phanetis cataposis[3] et Zagreus, Jovis et Proserpinae filius,[4] post regnum a Jove arreptum inserendi videbantur. Quae non opus est ut fusius enarrem.

His igitur perfectis iam videamus de auctore et origine hujus theogoniae. Damascius[5] igitur eam descripturus his verbis orditur: Ἡ δὲ κατὰ τὸν Ἱερώνυμον φερομένη καὶ Ἑλλάνικον, εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός ἐστιν, οὕτως ἔχει. Quae ita intelligo, ut illud καὶ post vocabulum φερομένη positum sono distinguam, quasi Damascius dicere voluerit, tradi quidem non solum Hieronymum auctorem hujus carminis sed etiam Hellanicum, sed fortasse illum hujus nomen ementiri, ita ut solus Hieronymus verus

[1] *L. c. p.* 380.

[2] *Ib. p.* 381: Συνεῖναι δὲ αὐτῷ (scil. Χρόνῳ) τὴν Ἀνάγκην, φύσιν οὖσαν τὴν αὐτὴν καὶ Ἀδράστειαν ἀσώματον διωργυιωμένην ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ τῶν περάτων αὐτοῦ ἐφαπτομένην.

[3] *Athenag. l. c.* Τίς ἂν — τὸν Φάνητα δέξαιτο — καταποθῆναι ὑπὸ τοῦ Διός, ὅπως ὁ Ζεὺς ἀχώριστος γένοιτο.

[4] *Athenag. ib.*, cf. *c.* 28 *p.* 32 *C*; 32 *p.* 36 *A*. Fortasse etiam verba (*c.* 14 *p.* 13 *E*): Ἀθηναῖοι Κελεὸν καὶ Μετάνειραν ἵδρυνται θεούς ad Orphei locum spectant. Quamquam pro Celeo et Metanira magis Dysaulen et Baubo expectaveris.

[5] *L. c. p.* 381.

auctor habendus sit.[1] Quem autem Hellanicum, quem Hieronymum Damascius in mente habuerit, difficile dictu est. Nam ut quam maxime Brandisio[2] largiamur, Damascii temporibus neminem non veterem logographum intellexisse, quotiescunque Hellanici nomen sine ullo epitheto enunciatum sit, tamen inde non liquet, num etiam antiquioribus temporibus idem semper scriptor in lectorum mentem venerit. Facile enim fieri potuit, ut proprie quidem alius quidam Hellanicus auctor hujus theogoniae haberetur, sed procedente tempore vetus Hellanicus in illius obscurioris famae hominis locum subrogaretur. Id quod multis praeter hoc Orphicum carmen libris accidisse, ex magna nube scriptorum ad veterem Lesbium historicum relatorum colligendum est. Etsi igitur post Pythagoram et Parmenidem ejusmodi theogoniam a vetere Hellanico condi potuisse propter quasdam notiones et doctrinas nimis pantheismum olentes fidenter negare non audeo,[3] tamen, si quae praeterea vestigia recentioris originis emergant, nos illud, quod Hellanici nomen epithetis caret, impedire non poterit, quominus aliquem iuniorem Hellanicum auctorem hujus carminis esse dicamus. Duo autem sunt, quae veteri Hellanico vix conguere videantur. Primum ex Athenagorae locis apparet, in Hieronymi Theogonia etiam Jovis et Proserpinae incestum eorumque filium Zagreum commemoratum fuisse. Cum autem ante viderimus,

[1] Cf. Zeller, *l. c. I*, 70 *N.* 3.

[2] *L. c.*, *I*, 66.

[3] Zeller, *l. c.* -- Chronus vel Hercules aut tempus aut sol esse potest. Si illud, iam inde ab Anaximandro Graecis innotuit ἀρχὴ ἀΐδιος καὶ ἀγήρως, a qua ille χρόνος non multum videtur distare (cf. *Hippolyt. Ref. haer. I*, 6: Ἀρχὴν δ' ἀΐδιον εἶναι καὶ ἀγήρω, ἣν καὶ πάντας περιέχειν τοὺς κόσμους. Λέγει δὲ χρόνον ὡς ὡρισμένης τῆς γενέσεως κτλ.). Sin sol est, concedo quidem, necessario zodiaci signa et fortasse etiam ejus obliquitatem reperienda fuisse priusquam Herculis nomen Soli accommodari potuerit (*Agl. p.* 485), sed iam Pythagoram hanc reperisse auctor est Stobaeus (*Ecl. phys. I*, 23 *p.* 197 *Gaisf.*; cf. quae Zeller praeterea allegat loca *l. c. I*, 308 *N.* 3). Deinde Ἀνάγκη quoque mihi videtur iam Pythagoreorum inventum esse neque opus est, ut Damascii verba: Ἀδράστειαν ἀσώματον διωργυιωμένην ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ τῶν περάτων αὐτοῦ ἐφαπτομένην integra in Theogoniam recipiamus. Saepe enim hic scriptor interpretationes suas ita cum rebus narratis connectit, ut vix dicere possis, quid sit Damascii et quid auctoris laudati. Postremo si Jupiter Πὰν vocatur ab Hieronymianae Theogoniae auctore, ne id quidem quinti saeculi opinionibus prorsus alienum puto.

hanc fabulam primum ab Onomacrito in Τελεταῖς propositum esse, non verisimile est, eam non ita multo post ab Hellanico exscriptam et suo carmini insertam esse. Deinde Phanetis cataposin non minus ab Athenagora Orpheo suo tributam quinto saeculo ignotam fuisse, mihi ex iis quae supra[1] disputavi satis manifestum videtur. Itaque alius Hellanicus arcessendus est. Et fortasse Lobeckius proxime a vero aberrat, qui de Hellanico Sandonis philosophi patre, quem ex Suidae adnotationibus[2] excitavit, cogitandum esse satis aperte annuat. Si enim pater Orphicam Theogoniam scripsit, quid mirum, si filius commentationes adjecit? Neque despero, fieri posse, ut aliquid lucis istius Hellanici origini adspergatur. Sandon enim mihi videtur ille pater fuisse Apollodori Stoici, qui sub Caesare et Augusto floruit.[3] Apollodorus autem, Tarsi natus, vixit annos octaginta duos. Itaque Sandon sub annum septuagesimum Tarsi fuerit necesse est. Cum vero idem secundum Suidam philosophus esset, sine dubio in hac urbe litterarum studiis praeclarissima scholam habuit. Nec tamen ipse Tarsi natus erat, sed ex Strabonis verbis τοῦ Σάνδωνος, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινός discimus, eum ex vico quodam, cui nomen erat Kanan vel Kana, ortum fuisse. Ejusmodi vicus in Phoenicia vel in tribu Asseridarum prope Sidonem situs erat.[4] Et Phoenicem Sandonem fuisse, fortasse etiam ex nomine colligendum. Etsi enim Sandon deus imprimis in Lydia, Cilicia, Assyria coleba-

[1] §. 6.

[2] *S. v.* Σάνδων· Ἑλλανίκου, φιλόσοφος ἔγραψεν ὑποθέσεις εἰς Ὀρφέα, βιβλίον ά. Cf. *Agl. p.* 337, 340.

[3] *Strabo XIV p.* 674 *Lucian. Macrob.* 21 *(T. VIII,* 120 *ed. Lehmann), Plut. Publicol.* 17.

[4] *Josua* 19, 28. Ceterum is vicus, quem intelligunt ibi interpretatores, proprior fuit Tyrum quam Sidonem. Sed Sidon Israelitis in Cananaeorum terram invadentibus multo erat opulentior Tyro, ita ut facilius illius nomen quam hujus scribenti succurreret. Nisi autem Strabo dissertis verbis Sandonem Cananitae nomen ab aliquo vico traxisse diceret, fortasse Κανανίτης Cananaeus vel Phoenicius vertendum esset. Quamquam Septuaginta aliique scriptores semper, quod sciam, Χαναάν scribunt. Praeter illud autem Kana etiam duo in Galilaea fuisse, notum est (cf. Winer *Bibl. Realwörterb. s. v.*, Raumer *Palästina, p.* 129). Sed de his non videtur cogitandum esse. In tabula Palaestinae, a v. d. Velde adumbrata praeterea innumerabiles vici occurunt nomine Khân insigniti.

tur, tamen ei etiam cum Hercule Tyriorum videtur similitudo fuisse.[1] Neque mirandum, si Hellanicus, pater illius, qui Theogoniae suae initium ab Hercule cepisset, filium aliquo hujus dei nomine ornavit. Puto igitur, illum Hellanicum a Damascio adhibitum Phoenicem fuisse post medium saeculum secundum a Ch. natum. Et fortasse ipse iam Stoicus erat sicut Apollodorus nepos. Nam si Stoicae sectae scholarchas[2] perlustraveris, plures ibi quam in ceteris scholis deprehendes, qui vel ex ipsa Phoenicia vel ex Cypro vel Tarso orti fuerint, ita ut suspicandum sit, harum regionum homines inter omnes philosophos maxime Zenonem, popularem suum, qui Stoicam scholam condiderit, secutos esse.[3] Quod si ita est, Hellanicus, quo erant Stoici inde a Chrysippo deorum patriorum fabularumque physice explicandorum studio, facile theogoniae condendae consilium capere potuit.[4] Sed cum et Stoicus esset et Phoeniceus, quid verisimilius, quam eum Graecis fabulis et Stoicas quasdam opiniones et Phoeniceae theologiae nonnulla lenocinia admiscuisse? Non parvam igitur probabilitatis speciem nostra de auctore Hieronymianae Theogoniae conjectura ducet, si demonstraverimus, esse in illa, quae mirum in modum vel cum Stoicorum praeceptis vel cum Phoeniceorum theologorum somniis congruant. Primum videamus de illis. Stoici igitur Jovem vel „legis perpetuae et aeternae vim"[5] vel

[1] Cf. Movers, *Die Phoenizier* (*Bonn* 1841), *I*, 460.

[2] Cf. Zumpt, *Ueber den Bestand der philos. Schulen in Athen und die Succession der Scholarchen* (*Abh. d. k. Ak. zu Berlin* 1842 *u.* 43), *p.* 99 *sq.*, cf. *Diog. L. VII*, 6: Persaeus Citiensis; 26: Antipatri Sidonii elogium; 38: Zeno Sidonius; 41: Zeno Tarsensis; 121: Heraclides et Antipater Tarsenses; 139: Antipater Tyrius; 179: Chrysippus Solensis vel Tarsensis, cf. Zeller, *l. c. III, I,* 36 *N.* 5.

[3] Cf. quae *Diog L. VII*, 6 de honoribus narrat Zenoni a civibus ipsius concessis. Ubi etiam οἱ ἐν Σιδῶνι Κιτιεῖς nominantur.

[4] *Cic. N. D. I*, 15, 39: Chrysippus — magnam turbam congregat ignotorum deorum atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus, quum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere.

[5] *Cic. ib. I*, 15, 40: Chrysippus disputat aethera esse eum, quem homines Jovem appellarent. — Idemque etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Jovem dicit esse eamdemque fatalem necessitatem appellat. *Conf. Diog. L. VII*, 147: Θεὸν εἶναι ζῷον ἀθάνατον — προνοητικὸν κόσμου τε καὶ τῶν ἐν κόσμῳ. — Εἶναι δὲ τὸν μὲν δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων

aethera vel mundum esse dixerunt. Ad cujusmodi dicta probanda iam Chrysippus „Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas accomodare voluit“[1] ad ea, quae antea de diis immortalibus dixerat. Qua in re eum Diogenes Babylonius aliique secuti sunt. Cum igitur iam ex his Ciceronis verbis appareat, Chrysippum ex Orphei carminibus plurima deprompsisse, quae in rem suam essent, quid putas quam libenter illum hymnum in Jovem[2] in vetere Orphica Theogonia exstantem legerit, exscripserit, sectatoribus suis commendaverit et inculcaverit?[3] Neque mirum, si post Cleanthem[4] alii exstiterunt Stoici, qui non ipsi quidem hymnos in Jovem componerent, sed Orphei pauxillas et modicas laudes augerent et sententiis suis pantheisticis magis magisque refercirent. Itaque versus, quos auctor libri de Mundo ex Hellanici Theogonia sumpsisse videtur[5], Hellanicum Stoicum fuisse non levi sunt documento. Accedit quod Stoici ex consuetudine sua, qua omnia ad duo principia τὸ ποιοῦν et τὸ πάσχον revocabant, eas imprimis fabulas libenter undique congessisse et interpretati esse videntur, quibus Jovis amores narrarentur, quippe quod in iis Jovi causae generantis vel „θεοῦ,“ materiae autem partes amatis ab illo deabus tribuere licuit.[6] Quapropter optime cum ceteris hujus sectae moribus convenire arbitror, si Stoicum quendam spurcissimas illas fabulas de Jovis et Proserpinae incestu et stupro Rheae illato[7] ex Onomacriti carminibus in Orphicam Theogoniam transtulisse sumamus. Et fortasse tota Phanetis cataposis, quam in hac Theogonia primum emergere supra viderimus, ejusdem Stoici argutiis debetur. Certe

κοινῶς τε καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ, τὸ διῆκον διὰ πάντων, ὃ πολλαῖς κατηγορίαις προσονομάζεσθαι κατὰ τὰς δυνάμεις. Δία μὲν γάρ φασι δι' ὃν τὰ πάντα, Ζῆνα δὲ καλοῦσι παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστιν.

[1] *Ib. I,* 15, 41.

[2] *P.* 26.

[3] Cf. *Agl. p.* 530, 912 *sq.*

[4] Cleanthes hymnum in Jovem fecit qui exstat apud *Stob. Ecl. I,* 2, *p.* 13 *Gaisf.*

[5] Vide, quae ante dictum est *p.* 38.

[6] Ita Chrysippus Jovis et Iunonis commercia explicuit (*Clem. Homil. p.* 147, 9 *ed. Dressel, Diog. L. VII,* 188, cf. *Agl. p.* 606 *sq.*), Diogenes Babylonius Minervae ortum ad physiologiam traduxit (*Cic. N. D. I,* 15, 41).

[7] *Athenag. c.* 20, *p.* 94 *ed. Otto.*

neque in Graecorum neque aliarum gentium mythis aliquid simile de hujus dei fatis traditur. Epimenidis αἰών, quem Zoega arcessit,[1] Jovis filius videtur fuisse ideoque vix ab eo resorberi potuit, cum poeta nullo modo Jovem nunc αἰῶνα et φύσιν procreantem nunc resorbentem et rursus alia ratione mundum condentem fingere posset. Neque Valentini Gnostici aeones adhibendi. Quis enim illam σοφίαν, omnium aeonum ultimam, quae „recurrit in profunditatem Patris“,[2] contendere audeat cum Phanete a Jove devorato? Phanes ita potius Jovem, quam Jupiter Phanetem desorbuisse dicendus erat. Amori autem Hesiodeo nihil cum Jove est et apud Pherecydem Jupiter in Amorem, qui antea non fuerat, convertitur. Restat igitur Metis. Cujus quidem cataposin theologo nostro obversatam esse etsi minime nego, tamen Metis Oceani filia et Minervae mater tam diversa est a Phanete ᾠογενεῖ omniumque deorum patre, ut ex eo, quod Phanes nonnumquam etiam Μῆτις appellatur, non liceat colligere, omnibus temporibus Phanetis fabulam in ejus cataposin exiisse. Imo etiam in Phoenicum et Aegyptiorum cosmogoniis occurrunt quidem nonnulli dii, qui fortasse cum Phanete componendi sint, sed semper intacti et inviolati suum in genealogiis obtinent locum, neque ullum novi exemplum, quo etiam alibi totius mundi conversionem et consummationem ita descriptam esse evincatur, ut secundus quidam demiurgus primum devoraverit rursusque ex se omnes res meliore ordine procreaverit. Unde incidit mihi suspicio, Hellanicum primam quidem partem fabulae integram ex qualibet relatione theogonica in carmen suum recepisse, alteram vero, dico cataposin, ipsum finxisse et suo Marte addidisse. Quod cur fecerit, non difficile est ad intellegendum. Si enim Stoicus erat, perincommode ei accidit, ut duos haberet mundi conditores Phanetem et Jovem. Jupiter enim alios quidem deos, qui ex mente Stoicorum nonnisi appellationes essent proprietatum Jovis,[3] ferre posse videbatur, nec tamen Phanetem, quem ex

[1] *L. c. p.* 188, 190, 260.

[2] *Hippolyt. Ref. p.* 275, 71.

[3] *Diog. L. VII,* 147: θεὸν (h. c. Jovem) πολλαῖς προσηγορίαις προσονομάζεσθαι κατὰ τὰς δυνάμεις κτλ.

patre deorum ad cujuslibet humilioris potentiae dignitatem redigere vix liceret.[1] Itaque non raris Hesiodeae Theogoniae exemplis, ubi vel Coelus vel Saturnus vel Jupiter eos, quos metuebant, desorbuisse dicuntur, facile adduci potuit, ut Phanetem quoque eadem ratione de medio tolleret.[2] Postremo si quis etiam illam Ἀνάγκην cum Hercule conjunctam ex alicujus Stoici cerebro ortam esse dixerit, non refragabor.[3] Quamquam de hoc dubitari potest, cum et alii ante Stoicos Adrasteam vel Εἱμαρμένην vel Ἀνάγκην insigni loco suae disciplinae dignam habuerint[4] et ipsi Stoici propter adversarios in agnoscenda absoluta necessitate tergiversati sint.[5] His igitur omnibus perpensis iure conjicere mihi videor, auctorem nostrae Theogoniae **Stoicum** fuisse. Eundem vero **Phoeniceum** fuisse, ex iis quae nunc proponam colligendum puto.

Tres nobis traditae sunt relationes Phoenicum theologiae, Eudemi, Mochi, Sanchuniathonis.[6] Sanchuniathon autem non unam

[1] Stoici **Jovem** τοὺς σπερματικοὺς λόγους continere dixerunt (cf. **Ritter** et **Preller**, *historia philosophiae* [3 *ed.*, *Gothae* 1864], *N.* 480, *p.* 443), Orpheus Hellanici autem canit:

Μῆτιν σπέρμα φέροντα θεῶν κλυτόν, ὅν τε Φάνητα κτλ.

Agl. p. 481. Haec enim ex Hellanici Theogonia in Rhapsodias traducta esse, mihi persuasum est.

[2] Praeterea non solum Jovis imperio aeterno, sed etiam alii doctrinae Stoicorum ita satis fieri opinari potuit. Ipsi enim Stoici quodammodo ejusmodi cataposin docuerunt mundum dicentes αὐτὸν τὸν θεὸν —, ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγένητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν (*Diog. L. VII*, 137). Attamen etiam Heraclitus, Stoicorum praecursor, aliique similia praeceperant.

[3] Cf., quae **Zeller** collegit *l. c. III*, I, 127, veluti Phaedri locum Nat. De. col. 1 (4), ubi Chrysippus dixisse traditur, Jovem esse τὴν κοινὴν φύσιν, εἱμαρμένην, ἀνάγκην et *Tertull. Apoll.* 21: Zeno determinat . . eundem vocari et animum Jovis et necessitatem. Qui loci non ideo sunt reprobandi, quod ibi Jupiter Necesitas dicitur, in Theogonia autem Hellanici ea peculiarem locum obtinet. In carminibus enim multos deos a Jove diversos celebrabant, quos in libris mere philosophicis rursus in unam Jovis naturam collegerunt.

[4] Heraclitus (*Diog. L. IX*, 7) docuit, πάντα γίγνεσθαι καθ' εἱμαρμένην; Plato habet illum θεσμὸν Ἀδραστείας (*Phaedr. p.* 248 *C*) et Parcas Ἀνάγκης filias, cujus etiam fusum commemorat (*Rep. X*, 617 *B*, *C*).

[5] *Cic. de Fato* 18: Chrysippus autem quum et necessitatem improbaret et nihil vellet sine praepositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat et retineat fatum.


[6] De Eudemi et Mochi relationibus Damascius *p.* 385 loquitur. Sanchuniathonis

tantum, sed complures praebet cosmogonias inter se diversas, ita ut conspicuum sit, in Phoenicum civitatibus similiter atque apud Graecos ab aliis aliam cosmogoniam genealogiis popularium deorum praemissam esse. Una autem videtur summam auctoritatem nacta esse, cum et Eudemus et Mochus[1] et Sanchuniathon eam secuti sint. Facile enim intelligi potest, tria stemmata in margine apposita[2] pro-

fragmenta seorsum ed. **Orellius**, *Sanchuniathonis fragmenta de cosmogonia et theologia Phoenicum* (*Lipsiae* 1826) et **Wagenfeld**, *Sanchuniathonis historiarum Phoeniciae ll. IX* (*Bremae* 1837). Scripserunt his de rebus recentiore aetate imprimis **Lobeckius**, *Agl. p.* 1273 *sq.*; **Movers**, *Phoen. I*, 116—147 et in *Encycl. v. Ersch u. Gruber s. v. Phoenizien*; **Ewald**, *Abhandlung über d. Phoenikischen Ansichten von der Weltschöpfung und den geschichtlichen Werth Sanchuniathon's* (*Göttingen* 1851) et *Göttinger G. A.* 1859 *p.* 1441 *sq.*; **Renan**, *Mémoire sur l'origine et le caractère véritable de l' Histoire phénicienne qui porte le nom de Sanchoniathon* (*Mém. de l' acad. des inscriptions* [1858] *T. XXIII*, *P. II*, 241 *sq.*); **Spiegel** in *Herzog's Realencycl.* (1860) *s. v. Sanchuniathon.*

[1] Cf. *Damasc. l. c.* et **Ewald**, *l. c. p.* 33 *sq.*

[2] **Sanchuniathon** *p.* 8—10 *ed. Or.*:



prie non multum inter se discrepuisse. Hunc igitur etiam Hellanicum secutum esse, tum ex simili ejus principiorum dispositione tum ex nonnullorum nominum forma Phoenicea colligendum est. Sanchuniathon enim ab initio ponit Spiritum et Chaos. Spiritus incensus Desiderio ex Chao gignit Μώτ, quae mox in Ovi figuram coalescit. Pro Spiritu et Chao Mochus dat Aethera et Aëra, Eudemus Desiderium apud Sanchuniathonem cum Spiritu conjunctum et Nebulam, Hellanicus autem similiter Αἰθέρα νοερὸν [illegible] καὶ Χάος ἄπειρον. Sicut autem Mochus etiam aliam relationem tradiderat, in qua post Aethera et Aëra inserebatur Ventus et Λίψ τε καὶ Νότος,[1] et sicut Eudemus similiter post prima sua principia intercalaverat Auram et Aëra, ita Hellanicus quoque non quidem post Aethera et Chaos, sed ante ea posuit Aquam et Limum ea opinor ratione adductus, quia secundum Stoicorum praecepta aër et aether ex aqua et limo vel terra orti putabantur. Ignem enim et aëra, quos etiam aquam antecedentes finxerunt, propterea ommittendos fuisse arbitror, quod in carmine cosmogonico non sicut in philosophicis commentationibus ignem aetherave et aëra bis nascentes producere licuerit. Neque displicet, ad ejusdem sectae doctrinas revocare, quod Hellanicus Herculem vel Chronum ex aqua et limo procreatum dixit. Chrysippus enim, cujus ille vestigia legit, Saturnum proprie secretionem esse ex humida mundi materia docuit.[2] Cum igitur haud raro Κρόνος et Χρόνος confunderentur, facile etiam Hellanicus adduci potuit, ut Χρόνον ex suo quem apud Phoeniceos theologos tenuit loco excitatum prolem redderet aquae et limi. Aliquid enim molesti habet, quod in Hellanici Theogonia Chronus non

[1] *Herod. II,* 25, 11: Ὅ τε νότος καὶ ὁ λίψ, ἄνεμοι πολλὸν τῶν πάντων ὑετιώτατοι. Aether igitur et Aër subtilioribus quibusdam theologis nimis inertia videbantur principia esse. Hinc motu adhibito Aethera omnino in Ventum (*Damasc. l. c.:* ἄνεμος ὁ εἷς, quem seorsum ab Africo et Austro unum fuisse principium verba demonstrant τὸ μὲν ἄκρον ἐστὶν ἄνεμος ὁ εἷς, τὸ δὲ μέσον [scil. triadis] οἱ δύο ἄνεμοι Λίψ τε καὶ Νότος. Non igitur Ἄνεμος, Λίψ, Νότος pro uno Aethere substituendi sunt, sicuti fecit Ewald, *l. c. p.* 35). Aëra autem spissum et humidum in duos illos ventus imbriferos mutaverunt.

[2] *Schol. ad. Hes. th.* 459 (*ed. Gaisf. p.* 428): Καθάπερ ὄντων τῶν ὅλων Κρόνον ἀναγκάζεσθαι. Cf. *Hippolyt. Refut. p.* 190, 184, ubi narratur, Peratas Κρόνον aquam intellexisse. — De Chrono et Crono cf. Gerhard *Orph. N.* 89.

solum Ovum, sed etiam Aethera[1] et Chaos genuisse dicitur. Ubicunque enim Χρόνος vel similis deus in Phoenicum cosmogoniis occurrit, aut una cum primis duobus principiis materialibus recensetur nec tamen ita, ut vel pater vel proles eorum dicatur,[2] aut cum Materia ex Chao et Spiritu procreata in unam coit personam mythologicam. Ipsum autem illa principia genuisse, nusquam narratur. Etenim si quid video, Phoenices proprie sic mihi videntur philosophati esse. Primum Tempus aeternum fuisse ferebant. Cum autem quomodo ex hac nuda et sterili temporis notione omnes res visibiles atque invisibiles procreari potuissent minime appareret, altera erant principia addenda, magis ad mundum efficiendum idonea. Quaerentibus igitur, quae ea essent, Phoenicibus sicut multis aliis gentibus placuit,[3] ut ex analogia animalium et praesertim avium ex Spiritu et Materia rudi et indigesta aliquod semen vel σπερματικὸν humorem elicerent et ex eo illud mundi ζῷον ita formarent, ut cum in Ovo inclusum procedente tempore maturuisse et instar columbini foetus in dies crevisse fingerent. Haec igitur quasi lineamenta esse eorum cosmogoniae arbitror. Quae tamen mirum in modum ab aliis aliter disposita, aucta, exornata sunt. In prima enim Sanchuniathonis relatione[4] de Chrono deo nihil traditur, sed illa Μώτ mera est materia sive aqua seminosa.[5]

[1] *Suidas v.* Ὀρφεύς (*p.* 1176 *b ed. Bernh.*): Εἶπε γὰρ ὅτι ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη ὁ αἰθήρ . . . καὶ ἐντεῦθεν τοῦ αἰθέρος ἦν χάος, καὶ νὺξ ζοφερὰ πάντα κατεῖχε καὶ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα κτλ. Haec ex Hellanici theogonia sumpta esse, et verba ipsa et quae apud Suidam sequuntur demonstrant.

[2] Ita Sidonii secundum Eudemi relationem Χρόνον ὑποτίθενται καὶ Πόθον καὶ Ὀμίχλην (*Damasc. l. c.*)

[3] Equidem hoc non ita intelligi volo, quasi Phoenices casu et fortuito in hanc inciderint analogiam (Zeller, *l. c. I,* 61), sed videntur illam universi generis humani traditionem secuti esse, quae nobis in Sacra Scriptura (*Gen.* 1, 2) quam sincerissime proposita est. Non enim quae fuerit singularum gentium natura et indoles ex eo cognoscitur, quomodo suam quaeque cosmogoniam mera cogitatione finxerit, sed quomodo famam illam a primis hominibus acceptam in memoria custodiverint, expinxerint, deformaverint.

[4] *P.* 10 *ed. Or.*

[5] Cf. Ewald *l. c. p.* 32. Videtur tamen vir egregius illud Μώτ minus feliciter ab Arabico mâdde ‚materia' derivare. Cur enim verba . . ἐγένετο Μώτ. τοῦτό τινές φασιν ἰλύν, οἱ δὲ ὑδατώδους μίξεως σῆψιν tanquam Philonis Byblii additamenta futilia et ad verum illius vocis sensum indagandum inutilia respuenda sint, non intelligo.

Nec tamen omnis deest temporis commemoratio. Cum enim Chaos dicatur εἶναι ἄπειρον καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας, perspicuum est, hîc quoque similiter atque apud Eudemum Tempus ab initio totius cosmogoniae positum fuisse. Mox vero Sanchuniathon ex Spiritu (h. e. Colpia ventu) et Chao (h. e. Βάαυ) non Μώτ, sed Aeonem procreatum esse narrat, quem cum Mochi Ulomo (עוֹלָם) congruere nemo non videt. Hunc igitur Aeonem neque tempus neque ipsum mundum significare, rectissime mihi videtur observasse Movers,[1] sed nullam omnino temporis significationem huic nomini remansisse, mihi persuadere non possum. Archetypum enim est, quod ab aeterno omnes in se continet rerum formas et exempla, ita ut simul Chroni et illius Μώτ vicibus fungi videatur. Sicuti autem abstracta illa nomina χρόνος et μώτ ab Aeone vel Ulomo depelluntur, ita etiam sol et luna et stellae, quas Sanchuniathon in prima relatione ex Ovo prorupisse narrat, in altera nominibus magis mythologicis denotantur. Non enim dubito, quin proprie ille Πρωτόγονος (Sanchun. p. 14, 16) non frater fuerit Aeonis, sed sol, qui primus ex Ovo ab Aeone genito emicuerit. Aperte enim tota haec genealogia proprie congruebat cum illa, ubi Μώτ tertium tenet locum; sed quoniam hîc non totius mundi sed generis humani

Fortasse ad veritatem propius accedunt, quae Delitzschius, vir et doctrinae et humanitatis nomine insignis, de hac re mecum benigne communicavit. Μώτ enim derivandum putat a מוֹ = מוֹי = מַי aqua (cf. מוֹאָב *Gen.* 19, 37), cujus nominis radix sit מָוָה diffluere, dissolvi. Litteram τ additam esse ex quodam more Graecorum, quo nonnumquam peregrina vocabula in vocalem exeuntia finali τ vel ϑ ornaverint (cf. *Jaoth pro* Ἰαώ יָהוּ *apud Irenaeum, T. I p.* 419 *ed. Stieren*). Sin hoc minus probetur, etiam ab ipsa radice מוה substantivum abstractum מְוֹת ‚dissolutio, diffluxus‘ formari potuisse (cf. Ewald, *Lehrbuch d. hebr. Sprache* [6. *Ausg. Leipzig* 1855] §. 150 *b*). Ita Μώτ esse aquam seminosam vel fluctum a Spiritu agitatum et germinibus refertum. — Si verba καὶ ἐκ τῆς αὐτοῦ συμπλοκῆς τοῦ πνεύματος ἐγένετο Μώτ . . . καὶ ἐκ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις τῶν ὅλων cum ceteris obscoenis Phoenicum cultibus conferas, non aliena erit suspicio, illud vocabulum proprie ipsum semen virile significasse. Et fortasse etiam illud obscurum Eudemi ὦτον, quod plurimi in ᾠόν mutandum censuerunt, emendandum est in μῶτον *h. e.* μώτ. Videtur enim Damascius verbis κατὰ τὸν νοῦν οἶμαι τὸν νοητόν etymologiam addere vocis ὦτον satis ineptam quidem, sed in veterum Platonicorum libris minime inauditam. Quod si ita est, littera τ non potest deleri. Μῶτον autem magis etiam assonat illi νοητόν, quam ὦτον.

[1] *Ersch u. Gruber, III,* 24, *p.* 412.

origenes narrandae erant, etiam prima principia in homines mutata et bina constituta sunt. Unde factum puto, ut ubicunque proprie filius patrem secutus sit, nunc masculorum par occurrat non minus ac si utriusque sexus esset liberos pariens. Ovum autem ex ejusmodi fabulosorum hominum serie necessario erat eradendum.[1] Neque id solum exemplum est, quo Phoenices multifariam lusisse in cosmogonicis principiis adornandis probatur. Maxime autem gaudebant popularibus diis transponendis ex mythologia in cosmogoniam et notis nominibus subrogandis in locum illorum, quae modo perlustravimus, cogitatione tantum fictorum. Ita in Bybliorum theogoniae Ἐλιοῦν (עֶלְיוֹן) ab initio ponitur et deinde Ἦλος (אֵל) vel Κρόνος Chroni vel Aeonis partes suscepisse videtur. Id quod ex mirifica ejus specie[2] colligo, cum illi quatuor oculi et alae haud inscitum temporis sempiterni simul et fluxi symbolum sint. Mochus autem post Ulomum alium inserit deum, quem neque cum Aeone neque cum Protogono comparandum puto. Ulomum enim dicit primum genuisse Χουσωρὸν ἀνοιγέα et deinde Ovum. Videtur igitur secundum hanc relationem Ovum mundanum non incubando et fovendo exclusum, sed cujusdam daemonis artibus divisum esse.[3] Id quod magis Aegyptiorum quam Phoenicum opiniones redolet. Aegyptii enim non sicut Phoenices mundum generatum sed potius demiurgi manibus factum et exsculptum ducebant.[4] Neque

[1] Puto igitur hoc stemma proprie hanc habuisse formam:

Kolpia ventus
[h. e. πνεῦμα Sanchun.
et ἄνεμος Mochi] — Baau (בֹּהוּ)
[νύξ, χάος, ἀήρ, ὁμίχλη]

Aeon
[Ulomos, Μώτ, Χρόνος]

[Ovum]

Protogonus
[sol]

[2] *Sanchun. p.* 38.

[3] Etiam Aegyptiorum Hephaestum (Ptah) Solis (Ra) genitorem proprie non fuisse, affirmat Lepsius, *Ueber den ersten Aegyptischen Götterkreis* (*Abh. d. k. Akad. d. W. zu Berlin* 1851), *p.* 190, 196.

[4] Perpauca de Aegyptiorum theogonia et cosmogonia cognita habemus (cf.


mirum, si ex Aegypto, ubi multos inde ab antiquissimis temporibus Phoenices fuisse nuper Ebers longa oratione docuit,[1] nonnulla in Phoeniceam theologiam emanaverunt.[2] Cum autem his omnibus appareat, quanta fuerit inter ipsos Phoeniceos theologos licentia cosmogonicorum principiorum et adornandorum et nominandorum, aliter fieri vix potuit, nisi ut Hellanicus quoque, vir Stoicorum doctrinis imbutus et natus ea aetate, qua iam omnium religionum et deorum facta esset contentio atque confusio, in disponendis suae theo-

Duncker, *l. c. I p.* 174), sed cum Memphitae Hephaestum (Ptah) „formatorem“ appellaverint et in monumentis idem deus ovum in rota figulari figurans occurrat ipsumque ejus nomen Ptah (a פָּתַח aperire, cf. Movers, *Encycl. l. c. p.* 390 *N.* 85 vel ab Aegyptiaco patach sculpere, cf. Ebers. *Aeg. I,* 251) ostendat, cum findendo non fovendo ovum aperuisse, manifestum videtur, Aegyptios in describenda mundi creatione imagines magis ab artificum opificiis quam ab animalium generatione repetivisse.

[1] *L. c. I,* 127—252.

[2] Mochum vel eos, quorum enarravit cosmogonias, nonnulla ex Aegypto recepisse, fortasse etiam hoc argumento est, quod Damascius eos etiam Austrum et Africum pro simplici Aëre substituisse tradit. Ab ipso enim Sanchuniathone (*p.* 38) Aegyptus Νότου χώρα vocatur et ab Herodoto (*II,* 25. 11) illos ventus ibi esse τῶν πάντων ὑετιωτάτους loco supra allato docetur. Nomen autem Χουσωρόν ab Aegyptiaco χausor (Ebers, *l. c. p.* 251) derivandum esse, vix crediderim. Apud Sanchuniathonem idem deus vocatur Χρυσώρ (*p.* 18) et dea quaedam Χρούσαρθις. Ewaldus igitur (*l. c. p.* 17 *N.* 1) secundum Damascii lectionem haec nomina corrigenda putavit in Χουσώρ et Χούσαρθις. Sed fortasse potius Damascii Χουσωρός in Χρουσωρός mutandum. In libro enim, quo Peratarum secta Gnostica utebatur, deae marinae nomen Χορζάρ (*Hippolyt. Refut. p.* 184, 12) inveniebatur, quam ab illa Chrusarthi (Χορζάρ = Χορζάρθ ommisso θ finali Graecorum auribus nimis barbaro) non diversam esse propterea suspicor, quod in illa cujuspiam syncretistae farragine praeter multa alia deorum orientalium nomina etiam Μίσυρ (*p.* 186, 39) commemoratur, quem Sanchuniathon (*p.* 22: Μισώρ καὶ Συδύκ . . . . Ἀπὸ Μισὼρ Τάαυτος) Taauti patrem reddit. Fortasse igitur dei nomen proprie sonuit Χορζώρ, quod Graeci facile leniendae litterarum appellationis causa mutare potuerunt in Χρουσώρ, Χρυσώρ, Χουσώρ. Χορζώρ autem potest esse חֹר צֹר h. e. dominus vel patronus Tyri (cf. 1 *Reg.* 21, 8. 11, ubi Isebel Tyria epistolam inscribit 'אֶל־הַזְּקֵנִים וְאֶל־הַחֹרִים וגו). Quemadmodum igitur Hercules Tyrius vocabatur Μελίκαρθος h. e. rex urbis, ita etiam Vulcanus (Ptah, Ἀνοιγεύς) mihi videtur dictus esse Χρυσώρ h. e. dominus Tyri. Hunc deum non minus quam illam Χορζάρ aliquod marinum fuisse numen, et Sanchuniathon significat Chrysorum et piscatus et navigationis inventorem dicens et Herodotus confirmat (*III,* 37, 6) Phoenices in navium proris parasema habuisse narrans Pataïcorum (h. e. comitum dei Ptah) speciem repraesentantia. — Ceterum cum Mochi Vulcano Ovum Ulomi aperienti fortasse etiam Pindari Ἁφαίστου τέχναι, Jovis parturientis caput findentis (*Ol. VII,* 65 *sq.*), conferendae sunt.

goniae principiis prorsus libidine quae sibi placerent eligeret, connecteret, expingeret. Itaque satis esse ad demonstrandam Phoeniceae et Hellaniceae cosmogoniae cognationem existimo, si et universum utriusque decursum omnino parem fuisse et ea, quae a notis Phoenicum genealogiis apud Orpheum abhorreant, nihilominus cum ceteris hujus gentis superstitionibus optime convenire probaverimus. Quis autem neget, totum stemma Hellanici, quod nunc amputatis omnibus adulterinis surculis hunc in modum sit describendum:



paene omnibus numeris cum Sanchuniathonis, Eudemi, Mochi relationibus congruere? Deinde si pro χρόνῳ vulgaris deus erat substituendus, quis ex mente Phoenicum aptior videri potuit quam Hercules Tyrius, indefessus zodiaci permeator? Videtur autem Hercules solam temporis aeterni notionem accepisse neque eam simul, quam praeterea Aeon, cujus locum tenet, natura sua continebat. Non enim Hercules, sed Phanes est totius mundi et conditor et archetypum. Cujusmodi permutatio tum facile potuit evenire, postquam Phoenices non naturalem solem, sed mysticum quendam lucis daemona ex Ovo prorupisse dicere consueverunt. Nomina autem Phanetis rursus cum Sanchuniathonis nomenclatura et cum linguae Phoenicae legibus apte conveniunt. Πρωτόγονον enim Aeonis fratrem a Sanchuniathone appellari, iam supra dictum est. Ericapaei nomen autem melius ex linguis Semiticis quam Aegyptiaca[1] derivari posse, mihi persuasum est. Ete-

[1] Zoega (*Abhandl. p.* 261) hoc nomen derivat a radicibus Aegyptiacis εἰρι et κηβ, ita ut Ericapaeus sit, „*der Vervielfältiger*“. Ita enim Priapum ab Aegyptiis

nim iure dicit Welckerus (apud Zoegam, l. c. p. 264 N.), Schellingii derivationem ab אֶרֶךְ אַפַּיִם μακρόθυμος propter litterarum concentum elegantem videri atque acutam. Id solum erat ambiguum, quomodo Jehovae nomen ad Phoenices deferri et quomodo Phanes „tardus ad iram“ vocari potuisset. Nunc vero hunc quoque scrupulum Delitzschius mihi exemit, qui fortasse Cabbalam potius quam Vetus Testamentum hac in re adeundam esse me doceret. In libro enim Sohar caput illius Hominis Coelestis, qui ex decem Sephiroth constat, appellatur אֲרִיךְ אַנְפִּין Arikaupen h. e. Longa Facies, ceterae autem novem Sephiroth זְעֵיר אַנְפִּין h. e. Parva vel Brevis Facies. Est autem ille Arikanpen vel Erekappen Aeon, ex quo omnes res emanaverunt.[1] Nonne igitur aptissime Hellanicus Phanetem, σπέρμα φέροντα θεῶν, hoc nomine ornare potuit? Quomodo autem illius termini Cabbalistici notitiam accepisset, nisi ipse ortus fuisset ex Phoenicia Galilaeae finitima?

His igitur omnibus[2] tantum impetrare mihi videor, ut omnes concedant, multa in hac Orphica Theogonia inveniri, quae auctorem ejus et Stoicum philosophum et Phoenicem fuisse confirment. Cum

nominatum esse conjicit. Sed nescio num nostri Aegyptologi revera in monumentis hoc nomen repererint. Zoega propterea in hanc derivationem incidit, quod Malela Ericapaei nomen interpretatur ζωοδοτήρ (cf. *Lob. Agl. I p.* 479). Equidem eadem adductus consideratione aliquando radicem רָחַף fovere adhibendam putavi. Cum א enim praefixo fingere licet substantivum ארחף Archaph h. e. is qui fovet. Sed obstat, quod non Hercules, qui ovum gignit et fovet, ita appellatur, sed Phanes, qui ex ovo nascitur.

[1] Franck, *Die Kabbala* (*übers. v. Gelinek, Leipzig* 1844), *p.* 136 *N.* 2: אצילות הכתר נקרא אריך אנפין והוא העולם הראשון. Hic igitur idem occurrit vocabulum עוֹלָם, quo supra illum Ulomum a Mocho insignitum esse vidimus. Ceterum admodum erit memoratu dignum, si hac nominis Eracapaei derivatione viris doctis approbata iam saeculo a. Ch. secundo terminum illum in Cabbala obvium tam tritum fuisse evincatur, ut in Phoenicum cosmogoniam emanare potuerit. Ita enim iam non dubitandum, quin istius Judaicae philosophiae primordia vel ad Maccabaeorum tempora revocanda sint.

[2] Addi fortasse potest, quod Hercules et Phanes et illa ἄλλη γενεή (cf. *p.*) speciem habuisse serpentinam dicuntur, cum Phoenices imprimis et Aegyptii serpentem sacrum duxerint cf. *Sanchun. p.* 44: Τὴν μὲν οὖν τοῦ Δράκοντος φύσιν καὶ τῶν ὄφεων αὐτὸς ἐξεθείασεν ὁ Τάαυτος καὶ μετ' αὐτὸν αὖθις Φοίνικες τε καὶ Αἰγύπτιοι . . . . . διὸ καὶ ἐν ἱεροῖς τοῦτο τὸ ζῶον καὶ ἐν μυστηρίοις συμπαρείληπται . . . Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν.

igitur eodem fere tempore, quo prima ejus carminis vestigia in libro de Mundo comparent, quidam Hellanicus vixerit, quem et Phoenicem et Stoicum fuisse verisimillimum sit, suspicari licet, hunc eum fuisse, quem Damascius p. 381 in mente habeat. Ac ne hoc quidem spernendum, quod, si Hellanicus, avus Apollodori, auctor hujus Orphici libri fuit, facile ad intelligendum est, quomodo fieri potuerit, ut Augusti et sequentium Imperatorum temporibus vetus Theogonia Orphica novae cujusdam auctoritate obscuraretur, ita ut Athenagoras in Supplicatione ad M. Aurelium et L. Commodum ex hac pari modo atque ex Homeri et Hesiodi carminibus suae disputationis argumenta repetere non dubitaret.[1] Apollodorus enim Augusti praeceptor[2] facile avi sui Theogoniam, quam etiam Sandon pater explicuisset, Romae tam illustrem reddere potuit, ut non solum philosophis[3] sed omnibus dehinc eruditis hominibus trita esset.

Quis igitur Hellanicus fuerit, iam satis liquere existimo. Sed Damascius verbis ἡ κατὰ τὸν Ἱερώνυμον φερομένη καὶ Ἑλλάνικον θεολογία non solum Hellanicum sed etiam Hieronymum quendam auctorem alterius Orphicae Theogoniae haberi indicat. Restat igitur, ut etiam de Hieronymo pauca addamus. Tres autem Hieronymi sunt, qui in hac quaestione soli sint respiciendi, primus Hieronymus Rhodius Peripateticus, alter Hieronymus Cardianus, tertius Hieronymus Aegyptius. Peripateticus praeter alia scripserat librum, cui titulus erat ὑπομνήματα ἱστορικά. Quo in scripto etiam nonnulla mythographica narrata fuisse, Harlesius inde colligit, quod in eo fabula de Tithono legebatur.[4] Potuit igitur ille etiam de Orpheo ejusque cantu nonnulla ibidem exhibere. Eadem fortasse in scripto περὶ ποιητῶν et quidem in quinto ejus libro, qui erat de Citharoedis,[5] repetivit. Cum autem

[1] Cf. supra *p.* 30 *sq.*

[2] *Strabo XIV*, 674: Καίσαρος καθηγήσατο καὶ τιμῆς ἔτυχε μεγάλης; *Lucian. Macrob. p.* 223 *ed. Reitz:* Ἀθηνόδωρος, Σάνδωνος, Ταρσεύς, Στωϊκός, ὃς καὶ διδάσκαλος ἐγένετο Καίσαρος Σεβαστοῦ θεοῦ.

[3] Theonem Smyrnaeum, Plutarchum, Tatianum non minus quam Athenagoram Hellanici respexisse Theogoniam, iam ante dictum est.

[4] *Fabric., Bibl. Gr. p.* 496 *N.*

[5] *Athen. XIV, p.* 635 *f.*

ipsum carmina fecisse a nemine quod sciam traditum sit, et eum argumentum Theogoniae ab Hellanico compositae pedestri oratione enarravisse propterea sumendum non sit, quod multo ante Hellanicum vixit, secludendus videtur ab hac disceptatione. Deinde Hieronymus Cardianus, [1] qui primis Diadochorum temporibus vixit et eorum historiam scripsit, [2] vix is erat, qui vel ad scribendum theogonicum carmen vel ad eruendam Phoeniceorum sacerdotum doctrinam animum induceret. Solus igitur relinquitur Hieronymus Aegyptius, cujus Josephus mentionem facit Antiq. I, 3, 6: Μέμνηται δὲ τούτων (h. e. cataclysmi) καὶ Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος, ὁ τὴν ἀρχαιολογίαν τὴν Φοινικικὴν συγγραψάμενος et I, 3, 9: Μῶχός τε καὶ Ἑστιαῖος καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερώνυμος. Cujus in archaeologia Phoenicea etiam cosmogoniam enarratam fuisse, et cataclysmi commemoratio docet et ejus cum Mocho contentio. Non veridissimile igitur est, Hellanicum quidem ipsam scripsisse Theogoniam, sed primae partis materiam ex Hieronymi libro in patria sua vulgato et lectitato deprompsisse, ita ut argumentum Hieronymi, versus Hellanici esse videantur. [3] Quoniam autem Graeci, quae ratio inter hos duos obscurae famae homines esset, mox non plane perspiciebant, facile fieri potuit, ut tandem Damascius ambos ne diversos quidem fuisse (εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός ἐστιν) suspicaretur.

---

[1] *Suidas s. v., Paus. I*, 9, 10; 13, 9; *Lucian. Macrob. c.* 22 aliique.

[2] *Joseph. c. Apion. I*, 23: Ἱερώνυμος, ὁ τὴν περὶ τῶν διαδόχων ἱστορίαν συγγεγραφώς, κατὰ τὸν αὐτὸν μὲν ἦν Ἑκαταίῳ χρόνον (cf. *I*, 22 *p.* 197 *ed. Richter*), φίλος δ' ὢν Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως, τὴν Συρίαν ἐπετρόπευεν.

[3] Similiter Zeller, *l. c. I*, 71.

Corrigas:

Sub finem indicis: Hieronymi pro Hieronìmi.
P. 2 n. 2: συνήθη pro συνηθῆ.
P. 8 v. 8: imprudentiae pro imprudentia,.
P. 13 v. 13: opponitur pro oponitur.
Ib. n. 3 punctum delendum inter A et Lobeckio.
P. 49 v. 12: Theogonia pro Theognia.